

HISTORIA  
TERRAE ET MARIS,  
EX HISTORIA THURINGIAE, PER MON-  
TIUM DESCRIPTIONEM,

ERUTA

A

GEORGIO CHRISTIANO FUCHSEL,  
MEDICO RUDOLSTADIENSI, ET ACAD. ELECT.  
MOGUNT. SCIENT. VTL. SODALI.

Hanc

Hanc legas et relegas, tunc benigne judices, Beneuole Lector, et si quid veritatis physicae, aut sufficientis perspicuitatis, in tam abstrusa, ad concisum stilum vix apta, historia reperies, magnam ejus partem Clariss. Mangoldo debebis, qui, per singularem fauorem tam mihi et historiae, hunc locum, honoris insignia praeseferentem, paravit, quam monitis, dubiis et quaestionibus, quae obesse poterant, enixe remouit, atque libero arbitrio plus attulit opis, quam omnes illi Clar. viri, quos hac de re ardenter sollicitaueram. Sin forsitan, lector amice, perfecta hac historia scrupulus adhuc animo inhaereat, judicium usque eo retineas; donec minimum duos diuersos montes secundum eorum nexus inquirere, et de stratis annotata varia perlustrare, ac ipse id genus conclusiones deducere poteris. Nam obseruationes sunt res iudicii; harum vero combinationes sunt actus ingenii, hinc aeque legendob vtrasque animi facultates intendere debes, ac auctor eam conscribendo adhibuit, nisi hanc historiam, mi iudiciose lector, meras hypotheses, et mi ingeniose, poema lucretianum aut empedocleum denominare velis.

## Sectio I.

S. I.

Thuringiae ambitus iugis montium ita est  
cir-

circundatus, ut formam sinus, cuius liber ampliorque aditus versus terram saxoniam et brandenburgicam sese extendit, quodammodo exhibeat.

a) Vnde forsan nomen Thuringia ab antiquo vocabulo (*tur*) (circum, gallice adhuc, autour) aut a (*tor*) (quod montem designat) et (*ringen*) (continere) formatum fuit.

b) Osterlandiam et Voigtlandiam merito cum Thuringia coniungere possunt, cuius in eodem naturali montium segmento continentur; physicus autem non fines dominii sed naturales orarum terminos consideret.

### S. 2.

Haec montium iuga sensim a summo culmine syluae thuringicae et hercyniae versus planities descendunt et magnam partem Thuringiae obsident.

a) Planities, obstrata ab aquis torrentibus, et paludosis producta, saepius non rite diudicari possunt; nisi quatenus eas montium proximorum extensiones esse, prae sumere liceat.

### S. 3.

Montes hi omnes stratis (*Schichten*) sunt exstructi, atque secundum stratorum massam, modum compositionis, nec non situm, nonnulli ita conueriunt, ut genus montium constituant, a coeteris distinctum,

a) Situs (*Lager*) dicitur montium ratio existendi cum basi, e.g. quatenus mons calcaneus semper in basi argillacea situs est; conferas tabulam V. Q. T-T sit iugum summum montium calcareorum, qui semper situm habent in basi t; iugum autem hoc cum basi T-t semper situm est in iugo montium acenaceorum A-A, siue sit mons solitarius ut B, siue totum iugum Tt-Tt. Eodem modo iugum arenaceorum AA semper situm est in basi a, et cum haec simul semper situm habeat in iugo altero calcareo F, prout hoc cum sua basi FF semper insidet calcareo tertio M; hinc, montes eiusdem generis secundum situm sibi semper conuenire clucet.

b) Positus (*Stand*) autem est ratio loci, quem mons inter propiores occupat montes, e.g. quatenus mons magis eleuatum aut magis inclinatum possidet locum, aut separatum, quod Tab. O edocet. HH sit linea horizontalis, sic montis B positus seu ratio loci, quem inter alios montes occupat, est alia, quam montium CD, qui magis supra lineam horizontalem eminent. Deinde mons B tanquam solitarius inter reliquos est positus, quod aliam adhuc rationem loci, quam concatenati non habent, exhibet. Tandem jugum T-T in C, D, ratione similis montis B, inclinato positum est in iugo arenaceo, cum B horizontali linea magis aequalis sit positus, hinc

Betiam ratione huius positus differt a CD,  
non vero ratione situs.

## §. 4.

Montes eiusdem situs, ab eadem massa, eodemque modo constructos seriem montanam (*ein Geburge*) nominare liceat.

- a) Stratorum massa aut forma diuersa seriei impertiat cognomen, et a potiori fiat denominatio; sic montes T-T tab. Ⓛ dant series calcaream testaceam.

## §. 5.

Montes vnius seriei non semper alteri seriei immediate insident, sed prorsus diuersa strata infra eos, ut medium compositionis, reperiuntur, quod tab. Ⓛ per t, a, f, media strata inter montes, testatur.

- a) hic modus compositionis cum statumine seu fundamento contuenit, hinc seriem statuminis (*ein Unterlager*) dicere libuit; metallicolae nostri dicunt: (*Wechsel*.)

## §. 6.

Situs et positus statuminis semper sequitur situm et positum eiusdem seriei montanae incumbentis: non stricte vice versa, cum statumen hinc inde, ut radix montis vel seriei, ulterius tanquam basis latior, extensum sit, atque per hanc extensionem etiam hinc inde disruptum et in monticulum, a serie aliquatenus separatum, reperiatur. Tabula Ⓛ huius rei testimonium exhibet.

a) statumina, t a, f, montium, CBD, et totius seriei, T-T, atque seriei A-A compribant, statumen seriem suam sequi debere, etiamsi nonnunquam multo latius extensus, aut quoad partes abruptum sit a serie ipsa, vt in D monticulus d, nam statumen 4 seriem T et statumen, a, seriem A tam in plano positu B quam inclinato CD et solitario B vt basis ubique sequitur.

b) statumen igitur merito ad superiorem, neutram ad inferiorem, refertur, nam statumen t in Tab. O, quatenus ei series calcaria incumbit, quoad situm vt basis, et quoad positum vt continuum secundum eosdem angulos reflectitur, aut extenditur, et cum ea cacumina montium arenaceorum occupat, aut cum ea hinc inde descendit, nec arenaceam seriem ullibi sequitur.

### S. 7.

Situs autem serierum et statuminum semper est idem, seu basis eadem, licet positus saepe diuersus sit.

a) nam montes eiusdem positus, ad uarias nonnunquam series, in eadem regione procumbentes, pertinere possunt.

### S. 8.

Hinc certus obseruatur ordo situs inter series montanas, qua haec certa series, semper illius certae, a prima ad ultimam usque

omni pondere liberam et interiorem Thuringiam occupantem, fundamentum constituit, unde ordo serierum semper idem deprehenditur, licet positus earum mixtus sit.

a) Celeberrimus Lehmannus inter alios de his seriebus montanis vberimas certasque nuper edidit obseruationes, dum quasdam, stratorum indices, secundum certas Hercyniae regiones, in Tr. *Versuch der Geschicke von Floetzgebirgen*, exhibuit.

### S. 9.

Nouem vero series montanas et sex series statuminum huc usque per omnem Thuringiam obseruare licuit, quarum generalia iam singulatim exponere, annisurus sum, ab ultima libera inchoans.

a) In hoc autem a lehmannianis indicibus recedo, ut tam internam, quam externam Thuringiae regionem perpensurus, eamque magis secundum variam massam, variisque situm, quam solam stratorum alternationem distingeturus sim.

b) Hinc dilucidioris cognitionis gratia, tabulas § et ¶ annexere volui, quibus serierum situm secundum planitiem in §, et quoad stratificationem seu ordinem in ¶ aliquatenus ante oculos habere possis. Verum confiteor, difficilime tantam montium variorum compagem ad viuum delineari posse, vt scopus perfecte obtineatur: nam per multa tentamina cognoui, variam mon-

montium altitudinem, incuruationem, et combinationem vix, massam vero diuersam nullo plane modo per lineas sufficienter designari posse, cum illud tantum delineationi aptum sit, quod oculis percipiatur; verum quod extra intuitum positum est, hoc artificium abhorreat. Modum quidem heraldicorum in his tabulis adhibui, ut lineis et punctis variarem, si varia exprimenda erant; ipse vero experiaris, an sufficiat haec methodus, nec confundat. Condonabis igitur, si tabula p., spatium 8 milliarium continens, hinc inde quoad singulares valles et angulos montium nec non fluviorum flexus propriae cuiusvis loci topographiae non stricte conueniat, dummodo regionis secundum has series communis, animi intuitus concors sit. Nec stratificationis delineatio suis non premitur difficultatibus, cum montes extensi abbreviari, et, qui oculo obstant, rescindi debeant, quo tota regio ad angulum visus coarctari possit. Quae cunque vero, s' inde magis perspicua reddi potest, ea suam hinc per signa desumet explicationem.

## §. 10.

Series ultima, interiorem Thuringiam occupans, montibus constructa est calcarijs, infinito numero corporum marinorum testaceorum refertis, hinc seriei testaceo calca-

riæ (*Muschelkalch*, das oberste Kalchgebürge). nomen merito gerit.

a) Haec series tam per literam K in tab. D quam per n. ro. tab. ♀ indicatur, vt tam extensionem per hanc Thuringiae partem, quam situm super reliquis seriebus cognoscere possis, et simul percipiás, eam non nunquam per varios tractus extensam, unicum tamen constitutere montem.

b) Praeter testas adhuc continet earum nucleos (*Muschelkerne*), maxime calcarios, paucos limosos et spathiosos, item cauamina (*Drusen*, *Gallen*, *Hölchen*) et icones externas (*Abdrücke*) nec non astroitas et alia marina.

c) per communia testarum et astroitarum nomina breuitati studui, et, quaecunque corpora marina huc referri possunt, his comprehendo nominibus.

d) Cauamina, quae ipsis stratis insunt, pro cauis testis exesis assumo, et drusae nomen illis potius cauernulis, quas in venis metallicis sal lapideus exornat, reseruarem; nisi cauamina pluries aequem cristaallulis ac drusae replete essent.

e) Haec series non exhibet strata aliis generis, ast variae mixtonis; nullum argillaceum tint. m., gypseum nullum, nec arenaceum stratum; nulla fragmenta aliarum serierum, licet propriae seriei.

f) Huius seriei summa superficies limo puro (*Leimen*) est obsita, et strata superiora hinc

hinc inde particulas limosas immixtas  
habent.

g) Ex hac serie demonstravit praesentiam  
pristini maris illustr. Hollmann T. III.  
Comm. S. R. Goetting. n. VII. p. 285. ad  
374, hinc eiusmodi argumentis superse-  
deo et lectorem illinc relego.

h) Hanc seriem laudatus Lehmannus in sua  
recensione stratorum omisit, dum strata  
ambitus, non vero interioris Thuringiae,  
refert, hinc nec statumen subsequens ibi-  
dein retulit.

### §. II.

Series statuminis, situm et positum horum  
calcariorum montium sequens, stratis argil-  
laceis, in primis rubris. nec non hinc inde  
gypseis, praeter alia lapidea, componitur;  
vnde illud statumen gypseo argillaceum ru-  
brum (*das rothe Gypslager*) voco: illius indi-  
cium per K tab. I et per n. II, tab. ♀ ha-  
bebis.

a) Hoc statumen strata pura calcaria vel are-  
nacea non habet, nec facile strata argilla-  
cea absque admixtione arenae aut calcis  
reperies, nec fragmenta aliena; strata ve-  
ro mixta pluries alternant, nonnullisque  
sal gypseus lapideam conciliauit duri-  
tatem.

b) Haec argillacea strata possent quidem,  
propter dehiscentem et cum acidis effer-  
uescentem indolem, margacea dici; ob-

potiorem vero partem argillacea dixi, licet primum magis lapidosa durities, quam argillosa tenacitas, illis insit.

c) strata gypsea non per totum statumen ut argillacea vel lapidea extenduntur, sed loca propria occupant; quorsum vero deposita sunt, ibi statumen nonnunquam altius reliquo, quin et in monticulum, seriei proxime accumbentem, separatum inuenies; ambitum i. versus respiciunt haec loca.

d) Species gypseae in hoc statumine maxime variant, et completa collectio corporum gypseorum tam simplicium quam compositorum inde desumi posset; nec alabastrum ubique deficit, licet rarius inhaereat.

e) Statumen hoc paucas testas continet, multas icones et canamina, vix nucleos, nullas astroitas, ast singulares cubulos lapideos, eiusdem substantiae ac stratum spuriū, tam separatos, quam more vertebrarum articulatos, quorum icones figura □ signata sistit, et lectores ad eius explicationem, cum semper eiusdem ac lapidea basis deprehendantur indolis, inuitat.

f) strata impura calcaria testas adhuc continent; impura vero arenacea tantum icones, et haec sola arenacea huius regionis strata icones habent, cum reliqua arena modo nucleos habeat, licet secundum relationes ex aliis regionibus arena ipsas testas illas conseruauerit.

g) Tale calcarium stratum densis figuris marinis subtus est quasi caelatum, quarum figurarum analogae succumbens margaceum stratum densissime obsident, et leuitatem aquae quam aeris accessu dehiscunt, ut hoc satis crassum stratum argillaceo-margaceum ex meris testis ortum esse, tuto exinde probare possis; icones vides sub signo 69, quibus, si suum genus marinum reddere poteris, mihi gratum opus peregeris.

h) Aliud huius statuminis stratum, (quod supremum esse puto, quia reliqua seriei strata vt plurimum ad aliquod spatiū reposita iacent) ob animalium ossa mibi notatu dignum videtur. An hoc stratum, quod praeprimis dentes et vertebrae plures, quam ullum aliud stratum, continet, et super stratum margaceum flauescens positum est, ossa rhinocerotis Nannii Holmannique continuerit, illius loci curiosus ex ordine serierum facile determinare posset.

### §. 12.

Series montium arenaceorum, stratis argillaceis distinctorum, subtus et a latere prioris procumbit, et arenaceam seriem (*das Sandgebirge*) exhibet; tabula per J et ♀ per n. 12 eam designat, et pluribus montibus eam compositam esse, ac calcariam priorem, simul indicat.

- a) Nullum omnino stratum calcarium nec talia fragmenta, licet aliquando frustilla quarzea, possidet, nullum gypseum, vel alius generis stratum, praeter argillacea; non ita margacea, ac prius i. i. b) recentis.
- b) Nullam testam habet, nec icones, pauca cauamina, ast multos nucleos argillosos, quin et arenosos continet, nec villas plane astroitas, aut alia marina, conseruavit.
- c) Horum nucleorum magna quidem pars ipsis stratis insidet, maxima autem inferiori stratorum superficie inhaeret, et si hos nucleos de promseris, cauamina respondent ut plurimum corpori cūdam mari- no, licet testa ipsa desit. Nuclei vero de- promti vix granulum arenae, nisi exterius, continent, ut certus exinde sis, hanc ar- gillam satis liquabilem tamen ab accessu arenae satis immune in suisse, atque vel testae iam inhaesisse, vel intra indurantem arenam ex ipsa testa, mediante terra acri arenacea, testam penetrante, ortum du- xisse, quod moles, quae fere semper mi- nor testa est, et nexus appressus euincunt, quo vero similiter terrae alcalinae anima- lis transmutatio in argillam probatur, prout iam supra (i. i. g) ortus margaceae argil- lae inde probabilis factus est.
- d) Nullus limus purus in summis huius se- riei superficiebus reperitur, licet in stra- tis

tis superioribus, salina quadam specie si-  
mul inquinatis.

- e) Huius seriei inferior dimidia pars differt  
hinc inde a superiore, tam ratione indo-  
lis, quam positus magis protensi.
- f) Nec hanc seriem in quodam lemannia-  
no stratorum indice relatam reperi.

### §. 13.

Series huius statuminis praecipue stratis  
argillaceis, maxime rubris, et nonnullis are-  
naceis, ignis vim iperferentibus, est com-  
posita, et statumen arenoso - argillaceum  
(*Glihsand*, *Hüttensandlager*) format. Tab.  
per i et tab. ♀ per 13 designat hoc sta-  
tumen, quod per regiones huius seriei sae-  
pe terram superficiariam constituit, cum  
sequens series proxime infra horizontem  
lateat.

a) Tam superiora statuminis, quam infe-  
riora seriei strata, inseruiunt furnis maio-  
ribus, vitriariorum, cereuisiriorum et cal-  
cariorum, dum pluries ignis vim perfe-  
runt, atque extus crusta vitrea obducun-  
tur, intus vero albam saccharinam faciem  
cum tenacitate obtinent.

b) Nulla pura calcaria strata, licet spuria,  
statuminis inferiori parti, versus subse-  
quentem seriem, inhaerentia, hic repe-  
rio, nec ullum gypseum, vel alias gene-  
ris stratum aut fragmenta.

- c) Nullam testam, nullas icones, nec ca-  
uamina, licet nucleos aliquos argillaceos  
in stratis arenaceis reperi; qui nonnun-  
quam in ipsis stratis rubris albido-viridius-  
culi sunt, atque hinc nullam vim colori  
rubro in hunc album nucleum fuisse com-  
probant, coniecturamque de huius argillae  
ortu (12. c.) adhuc magis stabiliunt.  
d) An celeberr: Lehmannus, huius statu-  
minis sub strato, tectum, *Dammerde* di-  
cto, mentionem fecerit, incertus sum,  
licet hoc coniiciam.

## §. 14.

Tertia series iterum est calcaria, ratione  
mixtionis autem diuersa, et propter strata,  
hinc inde farinaceam faciem habentia, fari-  
naceam calcariam *Meelbatzen*, *Brennkalchge-  
burge* eam vocare licet; eam H. tab. 14.  
tab. ♀ secundum situm indicat.

- a) Vox: *Meelbatzen* non confundatur cum  
codem de Streatite prope Baruthum visita-  
to; hic lapidicidis nostris forsan ob facilem  
laborem aequi libuit ac baruthinis.  
b) Furnis calcariis haec series in nostra  
regione suppeditat lapides calcarios, dum  
nigricantia magis compacta strata seligun-  
tur, farinacea autem excernuntur, et  
plures certas species vix habet.  
c) Haec strata nigricantia quoad fracturae  
faciem nonnunquam lapidem corneum  
referunt; farinacea autem quoad hanc  
faciem

faciem tripolitanae terrae aut cretae, dummodo color è gryseo flatuscens abe-  
set, conuenirent; strata haec farinacea per-  
ductus anomalos nigricantes splendidiores  
indicant, nigricantium primum et natura-  
lem statum fuisse farinaceum, nouoque  
fallis pinguis accessu et penetratione in hanc  
porosam farinam, cornea illa nigricantia  
strata orta fuisse.

- d) Nullum stratum aliis generis, nec ar-  
gillaceum, nec gypseum, nec arenaceum,  
nec fragmenta aliena continet.
- e) Haec strata nullam adhuc testam, nec  
intus nucleos, licet in lineis contiguitatis,  
parum iconum et cauaminum, nullas  
prorsus astroitas, exhibuerunt, nec alia cor-  
pora marina.
- f) Limus purus aequa in summa superficie  
reperitur, ac in serie testacea, licet nul-  
lus hic stratis sit immixtus, nisi proxime  
prope ambitum. §. I)
- g) Haec series nonnunquam prorsus latet  
sub praecedenti statumine, aut serie are-  
nacea, et per metallicolas, dum cuniculos  
agunt, primum cum suo statumine gy-  
pseo hic sequenti, detegitur.
- h) An haec series in aliis regionibus mon-  
tes cretaceos exhibeat, dubius quidem sum;  
farinacea autem tam cretae quam horum  
stratorum facies, non obstante colore,  
hoc vero simile reddit.

Statumen huius seriei constat ut plurimum è stratis, è glauco nigricantis, rarius rubrae argillae (nempe ubi semper in apri-  
co posita fuit) et quibusdam spuriis, quae in nonnullis locis alabastrina, aut gypsea con-  
tinent, hinc alabastrino argillaceum glaucum  
statumen (*das graue Gyps- oder Alabasterlager*)  
denominari potest; in tab: ) per h, in tab:  
y per 15 delineatur.

- a) Nullum purum stratum calcarium, nec arenosum purum habet, ast impura, gy-  
pseo sale micantia et lapidefacta.
- b) Strata gypsea non tam saepe alternant ac in altero gypseo statumine (11) nec species tam variae reperiuntur, nihilominus ad aliquot orgyarum altitudinem ac-  
cedit in locis gypseis, cum vix, alibi gy-  
pso orbum, ad orgyiam ascendat.
- c) Nullam testam nec nucleus, licet ico-  
nes et cauamina habet.
- d) Haec strata gypsea aequa, ac statumen ipsum, saepius ambitui accumbunt, cum vero remota iacent, aequa ambitum versus respiciunt, ac priora (11. c.)

## §. 16.

Quarta series secundum strata quidem est calcaria; propter heterogeneam vero me-  
tallicam admixtionem metallurgis et physi-  
cis magis nota: calcario metallica series  
*die Floetze, das Floetzgebirge*, appellatur;  
illam, G. tab. 16. tab. p. indigitant.

a) Nul-

- a) Nullum stratum aliis generis, nullum argillaceum, nullum gypseum, nullum arenaceum, plures vero species calciorum impurorum, ac farinacea (14) et testacea (10) continet, praeprimis heterogenea scissilia metallifera strata, *die Schiefer-Kupferflechte*.
- b) Circa haec sola strata scissilia metallicae hinc inde desudant, ut per Hercyniam et prope Ilmenauium, et caetera seriei strata vix aestumant; in nostris autem montibus vix fusione digna reperiuntur, venae vero, per reliqua strata calcariæ et ipsa scissilia transeuntes, eo diligentius inquiruntur; nec in nostra regione pisces terrestres, ac prope Ilmenauiam aut Hercyniam continent.
- c) Duas tantum adhuc species testaceas in unico strato nigricante duriore (*Hornfleetz*) reperi, plus vero cauaminum; ast nullas icones, nullas astroitas, nec alia marina aut villa fragmenta aliena.
- d) Limus purus aequa in summa superficie ac in praecedentibus calcariis seriesbus, eodemque modo, nec ultra seriem extensus reperitur.

## S. 17.

Statumen huius seriei constat ex unico tantum strato arenoso, dein calcario impuro limoso, hinc inde tantum reperiundo, tandem è stratis albidis argillaceis lapidosis

ob eandem metallicam admixtionem statumen metallico aerenosum *Sandflockz* id nuncupatus; n 17 tab. V et e tab. X locum huius statuminis, quod saepius obiectum latet, denotat.

- a) Statumen hoc nullam testam, nec caumen, nec iconem, nec astroitas continet; stratum tamen arenaceum aliquando parvulas caueolas, farina arenosa, aut coerulea cobaltina terra, repletas habet.
- b) Tam arenaceum stratum, quam calcarium spurium, fragmentis alienis refertum reperitur; calcarium praeprimis fragmentis ad seriem viridiusculam sequentem pertinentibus conspurcatum est; arenaceum vero aequa his frustulis ac quarzeis nonnullis est distinctum; haec fere unica constitunt strata, fragmentis alienis composita.
- c) Strata haec albida viridiuscula *Weiß Geburge*, *weisser Letten*, metallurgis qui dem ob maillani eandem, et alia indicia, ad sequentem seriem referuntur; cum vero pluriinis in locis, aequa ac arenaceum, limites suae seriei non transgrediantur, hinc merito his in locis ad statumen reponuntur, quamvis in proximis montibus seriem constituant sequentem.

### §. 18.

Quinta series constat e stratis argillaceis lapidosis, quorum color viridiusculus albicans

Bicans est, et quae vix reperiuntur, quip-  
fissa sint, hinc series fissilis albicans *weiß Ge-  
burge*, *weißlich Schalgeburge* dicitur, quam E.  
tab. D et 18 tab. § tibi monstrat.

a) Seriei fissilis generale nomen tam stra-  
tis quam seriei tribui, quia reliqua auto-  
rum nomina magis frustis huius seriei,  
quam toti seriei, competit; maxima  
autem huius seriei pars constat è stratis  
fissilibus.

b) Rarius quidem huius seriei color albi-  
cans exterius deprehenditur; frequentius  
autem in fodinis, hinc nomen a metalli-  
colis assumptum, vt a sequentibus serie-  
bus distingui possit, heic retineatur.

c) Haec series, vt vt argillaceae originis,  
nihil tamen mollioris argillacei strati nisi  
hinc inde in fodinis; item nil arenae, aut cal-  
cis, aut gypsi, nec fragmenta aliena continet.

d) Nullas testas aut icones, ast cauamina  
et nucleos astroitasque comprehendit.

e) Huius seriei summa superficies non li-  
mo puro, ast saepius impuro, tegitur.

f) Haec series magis remota ac sexta, in  
nonnullis locis procumbit, licet stratum  
infimum statuminis praecedentis (17. c.)  
huc referatur a metallicolis.

g) Nullum statumen sub hac serie detege-  
re potui.

### S. 19.

Sexta series item constat è stratis argilla-  
ceis lapidosis, quibus vt plurimum olore est  
ruber

ruber, quaeque aequa sunt fissa ac priora, hinc seriei fissilis rubrae *roth Geburge*, *roth Schalgeburge* nomen habet, et per F. tab. 19 atque per 19 tab. 9 indicatur.

- a) Licet terra argillacea rubra haec strata produixerit, nullum tamen argillaceum molle stratum habet, nisi vbi conquassatum stratum a metallicolis reperitur, nec gypsea nec calcaria, nisi rubra marmorea strata, nec arenacea vera, nec fragmen-ta aliena continet.
- b) Nullas testas, nec icones, pauca cazu-mina, ast copiosos nucleos marmoreos seu calcarios, inter lapidem argillaceum lapi-defactos, et aliquot astroitas reperies.
- c) Haec series minoris est extensionis ac reliquae, et in inferiori tantum ambitu est sita, vnde series praecedens, vt majoris latitudinis, ultra huius limites ad sequen-tem transgreditur.

#### §. 20.

Nullam statumen adhuc reperi; peculiaris autem situs nonnullis in locis aequa distincte separationem a praecedente superiori serie quidem indicat, non vero ita perspicue a subsequenti.

#### §. 21.

Septima series aequa fissa est, ac duae praecedentes, et massa stratorum aequa argil-laceae originis reperitur, licet color e gry-  
seo

seo coeruleus differat, hinc series fissilis coerulea *schwarz blau Schalgeburge*, *Dach-Schiefergeburge* denominatur.

- a) Aeque nullum argillaceum molle stratum, nec arenam, nec gypsum, nec calcaria strata, nisi marmorea grysea continet, nulla fragmenta aliena; ast in superficie limum, pro loci integritate, plus minus impurum.
- b) Nec villas testas, nec icones, pauca cauamina; ast copiose nucleos marmoreos et aliquas astroitas possidet.
- c) Haec series alibi etiam quoad speciem stratorum, per lapidem scissilem tectorum, cuius optima species in hac vicinia prope *Lebsten* hucusque reperitur, cognita est; nec minus ob tabulas mensales et scriptorias inclaruit.
- d) Hae tres posteriores series vnicam tantum seriem physicam formant, si idem genus massae et absentiam statuminum consideres, color enim per se sufficien-tem distinctionem non praeberet; cum vero metallurgi hos montes uno ore in tres series diuidant, et aliae rationes phy-sicae accedant, retinuimus hanc distin-ctionem.
- e) Nomen germanicum *Schalgeburge* ab ha-rum serierum accolis, qui earum frusta *Schalen*, *Platten*, (bracteas), *laminas*, ) denominant, adhibetur; hinc illud tan-quam distinguens ob fissilitatem retinui.

§. 22.

Statumen his tribus seriebus substratum, quoad stratorum massam, non vero quoad duritiem, suis seriebus conuenit, cumque plurimis in locis alumnen exinde producatur, et nigredine coeruleam seriem superet, hinc aluminosum fissile nigrum statumen nominari potest *Alaunschiifer*, *schwarz Alaunlager*, *Vitriolisches Geburge* atque per c tab. D et n. 22. tab. ♀ distinguitur.

a) Distantia huius modi locorum a loco, quo hucusque degi, non permisit, ut adeo distincte inquirere, et propria aut communia de hoc statumine annotare potuerim, hinc quae oculus fugitiuus viatoris obseruare potest, iis tantum, quae metallurgorum relatio exhibit, coniungere potui.

§. 23.

Octaua series carbonum fossilium ratione numeri stratorum et altitudinis pro tali assumenda non esset, nisi communis usus et utilitas peculiarem suaderent descriptionem et denominationem *Steinkoblicht Geburge*, *Steinkoblenfloetze*. Eius unicum certum locum n. 23. tab. ♀ et B tab. D determinat.

a) Celeberr: Lehmannus in tentamine citato hanc seriem, alibi Iargius reperiundam, atque magis iam cultam, quoad propria, ad physicam pertinentia, suffici-

enter

enter descripsit. In hac regione haec series solum Manebachi, prope patriam meam, Ilmeriauiam, colitur, et plantas aliae que continet terrestria.

### §. 24.

Statumeni ultimum Lehmanniani indices ex arena et argilla rubra potissimum compositum esse, referunt, quod tamen ratione altitudinis magis series esse videtur, prout praecedens series carbonum magis indolem statuminis habet, verum ob defectum certorum observationum statumen dicere libuit das rothe tote Lager usque dum tempus huius vltiori indagationi vacauerit, interim eius locum per A tab. 3 atque 24 tab. ♀ designare volui.

### §. 25.

Fundamentum serierum, veteris terrae lapidosa superficies, quae in cacumine sylvae Thuringiacae et Hercyniae adhuc comprehenditur hinc inde aliquantum denudata, *Grundgeburge*, *Ganggeburge* per 25 tab. ♀ et nomen ipsum tab. 3 indicatur, licet hinc inde tantum protuberet, et semper inuersa strata habeat.

a) Ex his protuberantiis apparet, eandem fuisse fundamenti inaequalitatem, ac praesentis terrae firmae, et nostri fundi marini, uti indefessus Donati in sua maris adriatici historia huius inaequalitatem probauit.

## §. 26.

Situs harum serierum horumque statuminum non secundum grauitatem specificam euenisse deprehenditur.

a) Serierum terrae constituentes, generaliter consideratae, triplicis tantum sunt generis, ut calcaria, argillacea, arenacea; specialis immixtio strata magis quam series determinat. Si statuminum gypseam mixtionem, prorsus ab his terris alienam, quia in strata interdum satis longa extensa decubuit, huc referre velis, non repugnabo. Dein tribus vnicuique harum terrarum, quamcunque velis, grauitatem specificam, et perspicies, ex alterno frequentiori situ absque indagatione huius grauitatis, quae nonnunquam vnicuique strato relative singularis est, nullo prorsus modo grauitatis specificae rationem ad explicandum serierum ordinem adhiberi posse.

b) Nam seriem arenaceam (12) inter calcarias (10. 14;) carbonum pingueum (23) sub fissilibus argillaceis (18-21.) statumina argillacea (11. 15) sub calcariis bis, et semel sub arenacea (13) nec non statumen arenaceum (17) supra argillaceas fissiles reperimus.

c) Experimenti gratia sumas frustula pura ex quacunque serie et statumine, comminuas ea in pulueres subtiles, misceas cum magna

magna vi aquae, et agites celerrime, vt omnia commoueantur, atque secundum suam grauitatem specificam descendere possint, et ordinem serierum horumque puluerum maxime diuersum reperies, licet nec exinde ob alias causas firma conclusio deduci valeat, hanc puluerum grauitatem eandem esse, quam olim particulae ex fluido suo primituo descendentes habuerint.

### §. 27.

Hinc nec eiusdem generis massa, eandem grauitatem specificam habens, continuo in vnica serie comprehenditur; sed per alius grauitatis seriem aut statumen separata existit.

- a) Calx tam per arenam, quam statumina argillacea gypsea et lapidea varia, in tres series, quin si marmor addere velis, per plures adhuc series, separata existit (10, 14, 16, 19. a, 21-a.)
- b) Arenacea series et arenaceum statumen eiusdem generis et grauitatis maxime a se distant (12. 17.) et arenacea series ipsa stratis argillaceis saepissime distinguitur.
- c) Argillacea strata, tam indurata, quam lapidefacta, inter omnes fere series dispersa inueniuntur, quod statumina et series arenacea praeter fissiles edocent.

## §. 28.

Hae series cum statuminibus suis non quaquaversum continuo extensa, sed diuisae potius obseruantur.

a) Series quaecunque, licet innumeris minoribus stratis composita, ut unicum crassum stratum considerari potest; hoc vero crassum stratum non continuo cursu per omnem Thuringiam extenditur, sed parte per certos tractus, magis secundum longitudinem, quam latitudinem. a se ipso distans exstructum reperitur, quam partitionum distantiam intercapedinem dicamus, licet eam vallem latiorem alicuius seriei aequi iuste dicere possemus; verum ob montes altos alterius seriei, nonnunquam in ea eminentes, forsan nonnullis hoc displiceret.

b) Hinc intercapedinem, plus minus ampliorem, ad distantiam milliaris usque, hinc inde exhibent series; et praecipue tres interiores, tam in latitudine, quam in longitudine, separatae inueniuntur.

## §. 29.

In tali cuiusdam seriei intercapedine ne minimum quidem stratum huius ipsius seriei ulterius reperitur, nisi solitarius forsan totus mons, singularem suae seriei ordinem et situm (3. a) aequi seruans, quod in tab. iam satis perspicere posses; verum maioris perspicuita-

perspicuitatis gratia, singularem regionem in tab. ♂ delineauimus,

a) Series Tt continuo cursu usque ad oppositum Tt recurrat, distantia igitur inter hos montes intercapedo seriei testaceo-calcaria nominetur, in qua nudi montes arenacei A-A medium occupant, et mons Ti, tanquam solitarius seriei calcario testaceae, licet non connexus cum reliquis calcareis T-T, eundem tamen situm et ordinem, ac reliqua sua series, obseruat. Sic et series calcareo farinacea in intercapidine montium arenaceorum 1, 2, 3. A protuberat in F E.

### §. 30.

Emergit igitur in tali intercapidine series subtus latens, absque mutatione situs, licet nonnunquam in alio positu (3. 6.) appareat.

a) Emergentis enim seriei montes, prorsus liberi partitae seriei stratis, tantae reperiuntur nonnunquam exaltationis, ut non solum secundum horizontem aequales, sed et altiores deprehendantur serie partita, cuius aliis in locis fundamentum consti- tuunt; quod per tab. ♂ clarius adhuc euadet.

b) Sic montes arenacei AA in intercapidine seriei T-T adeo sunt exaltati, ut eorum cacumina tam montibus calcareis 2. 3. T. aequalia sint, quam montem T. 1. superent. Reliqui igitur montes T-T sunt

quidem aequae magis exaltati quam T. 1.  
2. 3. remotius ab A-A uero protuberant  
hinc montes arenacei A 1. 2. 3. licet a  
statumine ad cacumen non maiorem alti-  
tudinem habeant, ac reliqui montes A, ta-  
men fere aequales sunt exterioribus mon-  
tibus T-T, cum interiores superent, ob ba-  
sin iam altiorem FF.

## S. 31.

Series igitur tam inaequali fundamento  
(25. a. 30) innixae, non habere possunt mon-  
tes eiusdem vbiq[ue] et aequalis exaltationis,  
licet per se eiusdem sint altitudinis physicae.

a) Altitudo physica montis aequipollit cras-  
sitiei statuminis et serici ipsius simul sum-  
tae, quae fere semper eadem erit; verum  
exaltatio aequitaliter dimensioni ab inferi-  
ori horizontali parte ad cacumen usque,  
hinc basis et reclinatio saepius exaltatio-  
nem variant.

b) Sic mons Heidek, cui Principis  
schwarzburgo - rudolstadiensis palatum  
superstructum est, per seriem calcario fa-  
rinaceam et metallicam, hic sterilem, ex-  
structus, et arenacea serie adhuc altior  
proxime factus, vix passus L aut C distat  
ab eiusdem seriei et ad eius radicem posi-  
tis monticulis, qui montis arenacei, ma-  
xime exaltati, basin formant. Hinc mons  
Heidek magis est exaltatus his monticulis,  
licet per se maiorem altitudinem secun-  
dum suas duas series non habeat.

## S. 32.

## §. 32.

Series testaceo calcaria constituit montes solitarios; saepius autem iuga montium, ab occidente versus orientem, secundum figuram sinus (§. 1.) quam Thuringia refert, usque per Saxoniam et Marchias extensa, quae hinc inde, maxime secundum longitudinem diuisa sunt: tab. §. per n. 10 testis sit.

a) Partem Thuringiae superiorem, a latere fluuii Ilmae et Salae, ad Franconiam per Vogtlandiam et Osterlandiam extensam, mihi tantum describendam sumsi; exempla igitur hinc deponam, nam pars Thuringiae versus Hercyniam extensa per varias Hercyniae descriptiones pluribus innotuit, ac haec pars Thuringiae.

b) Sic calcaria haec series non procul ab Ilmenauia, sinistrorum dupli linea, graciliiori versus Rudolstadtum, latiori et longiori versus Jenam et remotiores oras tendit; dextrorum inter Arnstadium et Erfurthum, prope fluuium Ilmam, et tractus medios Thuringiae, a latere fluuii Salae se- se versus Halam extendit.

## §. 33.

Series arenacea infra et a latere testaceae, in huius intercedente, montes solitarios et iuga montium exhibet, atque in eadem fere

directione ad Saxoniam, huiusque confinia decurrit, quod tab. §. n. 12 edocet.

a) aequae igitur ab Ilmenauia versus Rudolstadium continuantur, vbi linea duplice, Salam vtrinque concomitante, ad Jenam fere accedit, ibi vero per testaceae seriei duplicationem, Salam illinc continentem, obtegitur, dehinc ad Geram Vogtlandiae, et per Saxoniac confinia, Marchias, et Lusatiam reflectitur libera. In viciniis fluuii Ilmae non ita frequenter ac prope Salam protuberat.

### §. 34.

Series calcaria farinacea eundem longitudinis ductum in intercapedine arenaceae seriei sequitur, quod n. 14 tab. § ostendit.

a) Cum haec series ut plurimum lateat, atque hinc in nostra solum vicinitate eius directionem obseruare liceat; praeter montem Heideck (31. a) prope Koenigseam Blankenburgum, Salfeldiam, per Osterlandiam Voigtländiamque eiusmodi tractus videbis.

### §. 35.

Series calcario metallica magis adhuc latet; tractus vero ab Ilmenauia ad arcem Schwarzburgum, dehinc ad Blankenburgum et prope Salfeldiam (vbi haec series in apri-  
co posita videri potest) tandem inter Osterlandiam Voigtländiamque vergens, euincit  
ean.

eandem directionem ab occidente versus orientem; hanc n. 16. tab. ♀ tibi designabit.

a) Inferior semissis montis Heidek constat ex hac serie, quae in medio viae, ad arcem ducentis, circa primam, huic apposita, domum finitur, prout statumen incumbentis farinaceae seriei heic denudatum euincit. Verum haec series heic purior est, quam prope dicta loca ambitus, ubi color brunus flauus ex propiori ambitu admixtum heterogeneum testatur.

b) Intercapedinem, vt subtilis latens series emergere potuerit, nondum obseruauit; ast flexus et hiatus, quales prope Salfeldiam Mons ruber (*der Rotheberg*) dictus exhibit, subtilis fitas series fissiles demonstrant; nec intercapedine heic physica opus est, cum series inferiores ultra hanc extensae sint, et ambitum Thuringiae in aprico positum constituant.

### §. 36.

Series autem fissiles et caeterae totum ambitum Thuringiae constituentes ad nullam certam directionis lineam reduci possunt, quod n. 19-25 in tab. ♀ satis probat.

a) nec talem obseruare potuerunt, cum illis a tergo per montes veteris terrae superius obstantes, liber positus adentus fuerit, et plurimae in montes praecipites sint divisa.

b)

b) Intercapedines harum serierum non ita distincte obseruare licet, ob defectum statuminum, seu characterum, fines serierum determinantium, atque ob similarem massam, aliaque impedimenta. Nihilominus per aliquot hiatus in vallum profundiorum fundo, seu montium altiorum radice, tantum innotuit, inter seriem fissilis albida nonnunquam rubram emergere, saepius coeruleam, nec non aliquando aluminosa, aut carbonacea, strata; rarius fundamentum seu veterem sic dictam terram.

## §. 37.

Series et statumina ambitus Thuringiae non ubique eiusdem reperiuntur altitudinis.

a) Sic series carbonum, quae Manebachi prope Ilmenauiam satis feliciter colitur, vix alibi notatu digna reperitur, atque fissilis alba et coerulea aequa ac statumina, ut aluminosum, quod Saalfeldiae et Gehreni colunt, item arenaceum metallicum, hinc inde differunt altitudine seu numero stratorum.

b) Nec ipsa series metallico calcaria, quoad strata scissilia (*Schieferflöze*) ubique eiusdem est altitudinis, quippe quae Ilmenaviae maxime superat saalfeldensem.

c) Conferas simul tab. ♀, ubi pars ambitus ad sic dictum fundamentum (25) A usque aper-

aperta appareat, cuius series carbonacea C statumini B incumbens versus latus OC (ponas esse Ilmenauiam) largior reperitur quam versus latus OR (ponas Salfeldiam esse) ubi statumen aluminosum D largius procumbit. Eodem modo statuminis metallico arenosi stratum arenosum h atque post pauca calcaria i sequentia strata scissilia K in latere OC operae pretium magis soluunt, quam in latere OR. Nec minus series fissilis coerulea E, rubra F, et virides cens albida G diuersae sunt altitudinis. Series autem interiores ambitui appositae, calcario metallica L et calcario farinacea N, magis sibi aequales permanent, licet statumen m intermedium, ob gypseas species nonnunquam deficientes, hinc inde debilius inueniatur.

## §. 38.

Series vero Thuringiam interiorem occupantes raro ab eadem altitudine physica recedunt, licet ob inclinatam extensionem aliquando recedere videantur, et planitem fere constituant.

a) Sic testaceo calcaria cum arenacea hinc inde alternans versus Saxoniam constituit planitem; nihilominus, si per totam extensionem strata metiri liceret, spero repertum iri, physicam altitudinem minus esse a nostris montibus diuersam, prout proximi montes prope Weissenfelsam, Ci zamque

zamque indigitant, et fluuiorum decursus euincit, quod tab. 7 vltius demonstrabit.

b) Tam series calcario testacea quam arenacea constituit planities extensas L N, E P. vnde parallelepipedum ABDE seriem talem, quamcumque velis, continens, longius tantum producere debes, si maiorem planitem designare velis. Mons ABC autem per lineam AB exhibit altitudinem physicam, seu quatenus series in uno continuo ascendit (31. a) pars vero BC ad aliam seriem referenda est, et linea AC, quam pro vallium maiori minoriue descensu extendere potes, designabit altitudinem mathematicam, seu totius montis perpendicularis. Cum vero huius seriei stratum insimum seu lineam B producis ad D, tuncque lineam DE lineae AB parallelam superstruis, habebis tam inclinacionem, quam planitei altitudinem physicam, cuius minores dimensiones obtinebis, lineae DB parallelas lineas ff, gg, hh, ducas, vnde cognosces planitem et montem eiusdem simul esse posse altitudinis physicae.

### §. 39.

Hae series omnes cum statuminibus suis fissuras habent, secundum altitudinem montium hinc inde repentes, praepritis circa valliculas, angulos et declivias.

a)

- a) Fissura et ruptura differunt: haec dat valles, seriem extus diuidendo, illa venas per montes vagantes seriem intus tantum dissecando, extendendo.
- b) Rimas stratorum iam illustr. de Buffon T. I. historiae naturalis, per Galliam obseruavit, cum vero saepius stratum absque rimis alteri rimoso insideat, hinc rimas has minores ad specialem stratorum historiam repono.
- c) Fundamentalis series aequae fissuras habet, quas scriptores omnium profundissimas dicunt, et versus horizontem angustiores, versus profundiora latiores ut plurimum esse asserunt, eodem modo, ac in nostris seriebus hinc inde videmus.
- d) Licet omnes series fissae sint, solae tamen fissurae reperiuntur replete corporibus alienis, lapideorum aut mineralium sallium nomina promerentibus; in serie calcario metallica 16 tantum reperitur spathum alcalinum, in rubra 19 solum quarzum, in viridiuscula 18, fluor seu spathum quarzeum, in coerulea 21 quarzum et quarzeum spathum.
- e) Interiorum serierum, praeprimis arenaceis, (10) fissurae quoad margines tinctae tantum apparent, quod nonnunquam etiam exterioribus evenit; aut sale, strorum indoli magis analogo, obductae reperiuntur, vt farinacea et testacea.
- f) Quin et rimae stratorum hinc inde replete

tae sunt, non vero alieno corpore, sed massa, ad stratum incumbens pertinente, ut rimae argillaceae statuminum gypseorum, et ipsa gypsea strata rimosâ, selenite perpendiculari refertae, euincunt.

## §. 40.

Montes quidam in locis fissurarum infra horizontalem lineam nimis inclinant secundum lineam stratorum, quin imo ad perpendicularum fere hinc inde propendent.

- a) Series fissiles 18. 19. 21. in hoc decubitu irregulari pluries reperiuntur ac in regulari, cuius linea stratorum linea horizontali parallele decurrit.
- b) Caeterarum serierum montes saepe quidem reperiuntur inclinati, rarius autem ultra propendentes.

## §. 41.

Montes tales, tam inclinati; quam propensi, alia serie, horizontalem positum adhuc seruante, nonnunquam obteguntur.

- a) Sic series rubra 19 fissilis, ad perpendicularum fere propensa, horizontali serie calcario metallica 16 in monte rubro prope Salfeldiam obtegitur, quod tab. 8 per A B 8 ante oculos ponet.
- b) item seriei arenaceae 10, hinc inde circa fissuras inclinatae, series testacea 10 horizontali positu incumbit; nec minus subinde arenacea horizontaliter obtegit farinaceam calcariam prostratam,

## §. 42

## §. 42.

In his serierum fissuris praeter sales lapi-  
deos (39, d) hinc inde minerae variae conti-  
nentur, extra fissuras, praeterquam in stra-  
tis scissilibus (16, 6.) seriei calcario metalli-  
cae, rarius reperiundae.

a) Tales fissurae tunc venae metallicae di-  
cuntur; trium autem interiorum serie-  
rum, 10, 12, 14, fissurae, nullam adhuc  
mineram, nisi terram cobaltinam rubellam,  
nigram, et flauam exhibuerunt: exterior  
proxima series calcaria metallica, 16, co-  
balti et cupri, nec non ferri, matrix est vber-  
rima, et remotior fissilis alba praeter cu-  
prum nonnunquam argenteas mineras ex-  
hibet, aeque ut coerulea series, 21, hinc  
inde, praeter pyritem, mineralia varia,  
quin et inter quarzum, Eisenmanno Wolff-  
rammoque conspurcatum, aurum squamo-  
sum nigricans exhibet, quod demum me-  
tallicum splendorem acquirit, dum tor-  
rentium aërisque vi satis agitatum est, ut  
fluuius Schwarza euincit, qui olim elu-  
triando metalli quidquam exhibuit, quique  
nec hoc tempore eo prorsus orbus depre-  
henditur.

## Sectio II.

## §. 43.

Praecedentes observationes tam inter se-  
quam cum aliis, combinare, atque euentus seu  
historiam exinde deducere liceat.

a) Modus vero quo naturahodierno adhuc tempore agit, et corpora producit, in hac explicatione pro norma assumendus est; alium non nouimus.

### §. 44.

Natura autem nunquam producit corpora terrea crassa et extensa, immediate ut crassa et extensa: hoc esset creatoris, si id illi forsitan liberet; vnde nec has series montanas tali modo produxit.

(a) Verum successiue, per coordinationem particularum, prorsus nouum corpus, a particulis diversum, vi omnium experientiarum producit; has igitur series eodem modo construxit natura, communis alterrix.

### §. 45.

Series montanae sunt strata maiora, numero minorum stratorum infinito constructa,

28. a)

### §. 46.

Strata non nisi a fluidis, quae particulas terrestres continent, et ad fundum sub luti, seu cristallorum forma delabi, permittunt, secundum hodiernam (43. a) experientiam producuntur.

a) Series igitur montanae aequales à fluido quodam, et quidem ex luto eius praecipitato, aut sale crystallisato, sunt productae.

## §. 47.

Strata ex fluidis praecipitata, hinc primum mollia sunt, et lutum constituunt, temporis vero successu demum duriora vel lapidea fiunt; aut tanquam strata salina inter cristallisationem fiunt duriora, nisi cristalli seorsum seponantur.

## §. 48.

Sub fluidis dulcibus strata lutosā non lapidescunt, licet tandem duriora fiant; sub salinis vero aquis successu temporis adhuc nostra aetate lapidescunt.

a) Luta ex fontibus salinis, ut carolinis, aut tophaceis, quae lebetes exhibent, aut ex ipsa aqua salis communis in aheno aut domo gradatoria deposita, mediante suo salino fluido adhuc lapidescunt, et lapides iam perfecti nouo liquamine in aliud lapidis genus transeunt.

b) Hinc strata lapidea per tempus lapidificationis fluido salino obiecta fuere.

## §. 49.

Series lapideae, per omnem Thuringiam extensae, tantum ideo fluidi stratificantis et salini lapidificantis ambitum indigitant, quantum series hae minimum comprehendunt.

a) hinc fluidum per totam Thuringiam extensem requisiuerunt.

## §. 50.

Corpora stratorum modo sibi incumbentia, per tot temporis dimensiones, quot strata sunt, producuntur.

- a) Strata nonnunquam longos ductus colore diuersos, plus minus crassos, absque linea contiguitatis, ceu vnum continuum exhibent: hinc diuersa haec luta, aut breui tempore, et fere simul, sibi succedere potuerunt, aut eorum indoles non tam ciatam indurationem admisit, vt separata strata formare potuerint; in argillaceis stratis hoc saepissime contingit, aequae ac in arenaceis.
- b) Per incertum hoc ductuum tempus etiam incerto concluditur modo, haec eiusdem strati diuersa luta simul et semel descendisse, nisi ex grauitate specifica id comprobare valeas. Sic in serie arenacea nonnunquam strata inferius leuiores ductus continent, in medio aut superius, grauiores, atque aliis mixtionis, aut coloris: atque argillacea strata quoque nonnunquam sunt inferius rubra, in medio viridia, superius vero aequae rubra.
- c) Hos ductus ob deficientem lineam separationis non denominaui strata.

## §. 51.

Hinc series quaecunque ex stratis innumeris lutolis mollibus aut salinæ indolis orta

orta, tot tantaque temporum interualla ad suam structuram requisuit, quot quantisque interuallis strata ad lineam contiguitatis formandam opus habuerunt.

## §. 52.

Linea contiguitatis stratorum, ceu character separationis, euincit, singulo strato tantum temporis tribuendum esse, quantum eius massa ad indurationem, cohaesione sequentis luti resistentem, requisuit.

## §. 53.

Tot series (9) quoad stratorum massam, mollitiem, lapideam duritatem, diuersae, per tantum tempus praesentiam fluidi salini ad suas praeципitationes, firiores sedes, et lapidificationes requisiuerunt, vt hoc fluidum omnino longaeum dici debeat.

a) Lutum ex fluido salino depositum non ipse sal (47) huius fluidi esse potest, sed massa particularum ex hoc salino mixto separatarum. In sequentibus igitur, si de transmutatione salis in alium salem, aut aliam terram, sermo erit, semper aut tale lutum adhuc fluctuans, aut causa tale lutum ex fluido salino producens, supponitur.

b) Hinc tam breve tempus, ac lutum torrentis aut diluvii ad suam depositionem requirit, heic non assumi potest, sed tantum temporis cuicunque luto puro tribui debet, quantum minimum salinae massae

tribueremus, quae caloris, frigoris, exhaustionis, admixtionis, et aliarum causarum alternatione demum lutum deponit. Lutum autem iam fluctuans aliena immixtione celerius impurum reddi potest.

- c) Sal talis, &c., ex fluido more luti descendens (45, 47.) per crystallisationis longius aut breuius tempus dijudicabitur.
- d) Conditiones, sub quibus mare talia luta deponere potest, statum maris internum seu eius constitutionem exhibent.

#### §. 54.

Fluidum salinum tam longaeum (53) tan-  
taeque extensionis (49) Mare dici meretur:  
in subsequentibus igitur fluidum, quod series  
has produxit, Mare dicam, et quidem vetus  
aut pristinum. Cl. viri, Helk et Liebroth in  
Promt. Hamb. huius pristinam praesentiam  
iam agnoverunt, et illustr. Hollmannus in  
Comm. Goetting. eam demonstrauit (109.)

#### §. 55.

Stratorum terrea fluctuantia et salina luta,  
46. ex fluidis deponuntur in locis quietis,  
nam motus his fluctuantibus particulis de-  
scensum non permittit.

#### §. 56.

Loca quieta maris, vel sunt loca lenioris alluviei, vbi resistentia impetum adhuc im-  
minuit, vel latera fluminis marini, sensim le-  
nius vndantia,

- a) Flumen dico fluidi seu maris partem, secundum lineam quandam in motu existentem. Fluuiorum nostrorum flumen, seu linea vndis largioribus mota, vel per inferiorem resistentiam, seu locum in fundo aquae magis exaltatum excitatur, vel per declivem fundi propensionem, qua aquae celerius proruere possunt, producitur: hinc flumina marina eodem jure his conditionibus attribui debent; motus autem aquarum secundum quandam communem directionem praecedere debet, per quam dictae conditiones efficaces fieri possint. Itineraria nautarum varia exhibent exempla, quae huic disquisitioni lucem afferunt, nondum vero sufficiunt.
- b) Intercapedines serierum, 28, 30, manifesto motum aquarum marinorum secundum lineas certas euincunt; nam idem lutum calcarium, aut argillaceum, nec non arenosa compages, per totam Thuringiam distribui, absque tam regulari serierum exstructione, debuisset, si motus aquarum incertus fuisset.
- c) Ex montium igitur directione, 32-36, seu linea situs cuiuscunque seriei, motus aquarum per totum illud tempus, quo lutum \* descendit, demonstrari potest, et qui-

F. 4

dem

---

\* Monendum est, C. Autorem sub luto intelligere id, quod flumina vel maria deponunt; sub limo

dem secundum normam, quam aquae luto-  
sae adhuc obseruant. Verum fluuiorum  
nostrorum aquac lutosae non secundum  
lineam, quorsum flumen aquae ruit, lu-  
tum deponunt; sed vis fluminis, per incli-  
natum aut resistentem fundum hinc inde  
reflexi, lutum ad huius latera magis qui-  
eta vndulatione reicit, vnde angulosa fi-  
gura talis strati lutosi, aequae ac in mon-  
tibus nostris per flumina marina productis,  
prouenit.

d) Quod flumina marina secundum directi-  
onem a fundo maris; secundum motum  
autem continuum a fluxu et refluxu ma-  
ris oriantur, satis vero est simile, licet hoc  
ob defectum obseruationum pro certo  
affirmare nequeam.

e) flumina maris, quae a ventis regulari-  
bus quarundam regionum producuntur,  
magis aquas marinias prope littora et in  
superficie exagitant; fundum autem altioris  
maris non attingunt ac haec per fundum ex-  
citata; hinc eorum hic nulla fit mentio; sed  
illorum tantum, quae altiora mariq fundi-  
tus commovent, vim et effectum adhibe-  
re potui, quorum et Buffon in T. i. Hist.  
nat. allegat exempla, licet ad fundum non  
respexerit.

§. 57.

---

verò illam terræ speciem, quam nos *Leimen* no-  
minamus. Veteres Autores contraria ratione his  
vocabus vñ fuerunt.

## §. 57.

Strata in ambitu sunt producta lenioris alluviei ob resistentiam fundamenti, 25 a, seu pristini fundi marini, quod Donati observationibus de mari adriatico respondet, quibus mare vetus ac hodiernum sibi similia redduntur; utrisque nempe montes, nec non planities ac valles, ad modum nostrae terrae, tribui possunt.

a) Ob hanc fundamenti resistentiam fluminibus per se haec strata non adscribi possunt, nam humina amant medium liberorem maris partem, id quod ad series ambitus, huiusmodi stratis exstructas, non potest applicari, dum liberior fluxus defuit.

## §. 58.

Alluvies, 56, autem, quatenus a resistentia pendet, non ubique in suo circuitu sibi similis esse potest ob diuersam resistentiam, quam tubera fundi, motui aquarum obuerfa, exhibent; tamdiu vero, quamdiu manent resistentiae, persistere potest eadem.

a) Hinc strata ex alluvie orta non eiusdem esse possunt continuationis et altitudinis; sed hinc inde abrupta, et plus minus alta reperiuntur, quin et variae mixtionis esse debent in locis, alluviei magis minusve commodis, 37 b.)

Series autem ambitus quaelibet a metallica calcaria, 35-36, usque ad fundamentum (25) non eiusdem continuationis et altitudinis ubique reperitur, et ratione sui circuitus ab altera differt.

- a) Hinc lutosarum aquarum motus omnibus his serierum temporibus secundum alluviei, neutquam autem secundum fluminum regulas versus peripheriam seu ambitum Thuringiae ab vndatione quasi vniuersali fuerunt determinati.
- b) Nam motus alluviei sunt magis vniuersales, et flumen motus magis particulares, illi sunt magis inquieti, indeterminati, aquarum circa medium talis regionis, fortius extorsum commotarum, motus; hi magis quieti et a fundo inaequali, fluxu et refluxu (46.d) aliisque continuis causis determinati aquarum motus.
- c) Simul autem ex sinuosa Thuringiae figura, i, patet, motum aquarum marinorum a regione Saxoniae versus omnia huius sinus latera sese exseruisse, cum, tam prope Voigtlandiam, i, 6, quam Hercyniam et nostram regionem ambitus easdem ubique terras, eodemque ordine, licet sub diuersa altitudine, alluerit.
- d) Nec minus inde elucescit, hunc motum primitus tam fortis et extensum fuisse,

(49,a) ut ad nostra, iam summa, montium cacumina, luta primarum serierum prouoluerit. Successu temporis autem haec vis, mitior reddita, non tam late sua luta protrusit; dum sequentem rubram seriem magis versus interiora deposita, postea denuo extensa fuit, et seriem 18 albidam porrexit; quo harum serierum varius ortus est circuitus.

### §. 60.

Strata fluminis cuiusdam, laterali vndatione pronata, huius directionem tantum sequuntur, quantum fluminis fundus lateralis eandem permittit vndationem, id quod secundum longitudinem magis fieri debet, cum secundum latitudinem magis (59,b) alluvies agat, quam flumen,

### §. 61.

Series montanae a calcaria farinacea usque ad testaceam (32-35) probant per lineam longitudinis, et altitudinem (38) eandem, nec non coarctationem stratorum, qua nullum extra seriem reperitur, sese ortum a fluminibus maris, secundum lineam aliquatenus rectam commotis, habere, quod tab. ♀ comprobat.

a) Hae series per suam longitudinem edificant, quorsum flumina marina directionem tempore quounque habuerint, nempe in intercapidine cuiusque seriei, seu

a latere ipsius seriei secundum plagam, versus quam series extenditur. Series autem a plaga occidentali versus orientalem extenduntur, hinc flumina ab orientali ampliori (§9,c) Thuringiae parte, versus angustiorem occlusam occidentalem profluxisse, et hoc modo, tam primas alluviae series, quam sequentes fluminum series produxit, luculenter patet ex prioribus.

b) An vero in aliis regionibus eadem flumen directio fuerit, dubius sum, cum Thuringiae sinuosa figura, quam fundamentalem seriem iam primitus habuisse adhuc protuberans-fundamentum comprobat, causa huius directionis fuisse videatur, atque regionis alius diuersa primitus protuberans figura, vt in Bohemia Franconia, et ultra Hercyniam, etiam flumen directionem tam ab initio, quam in successu, producere debuerit.

c) Flumen autem motus non semper idem esse potuit, vt serierum habitus indicat; hinc, cum series, continuo nexu extensa, vt unicus fere mons procumbit, prorsus alijs fluminis motus esse debuit, quam si series, saepius partita, seu montibus sibi accumbentibus, sit exstructa: prius fluminis aequalem extensum motum, et maris quietum tempus indicat, quod calcariis series secundum Tab O, ♂, ♂ conuenit

conuenit; posterius motus partitos, seu ad modum vndarum excitatos atque mare impetuosum indigitat; seriemque arenaeam produxit.

## §. 62.

Quatenus autem directio vnius seriei ab alterius seriei directione recedit, 18-30, eatus diuersa fluminum directio, et varius externus maris status, seu motus secundum diuersas lineas patet, atque motus huius, post longa serierum interualla eueniens declinatio, et recessus, elucet.

- a) Status igitur maris externus tam saepe diuersus fuit, ac diuersae series reperiuntur; cum vero in motu maris diuerso consistat, eius causa vix explicari poterit, nisi accolae nostri maris motum diuersum curiosius obseruauerint: attamen, cum eius effectus seu montes ante oculos positi sint in nostra regione, infra videbimus, quantum exinde ad causam eruendam argumentorum desumere possimus.
- b) Praeter directionem variam alternatio serierum et statuminum, (10-18) quoad terras diuersas, indicat, mutationem status externi cum mutatione status interni, seu constitutionis, 83 d) coniunctam fuisse.
- c) Minimum spacio quodam temporis cum mutatione directionis etiam constitutione mutata fuit, quod statuma cum primis, tanquam prima, 6. b, strata nouae directionis

nis euincunt; licet hoc non inuerti et' dici possit, mutata constitutione directio-  
nem quoque mutatam semper fuisse, quam-  
vis id saepius contigerit.

- d) Ob directionis autem mutationem subse-  
quens series semper recedit a priori, ut  
series praecedens, etiam si non tota, ta-  
men quoad partem denudata appareat,  
hinc recessus hic et intercapedo nonnun-  
quam sibi succedunt et aequipollent, dum-  
modo recessus lateralis, non vero totius  
seriei, seu totalis, intelligatur.
- e) Hic recessus totalis magis ambitum aut  
circumferentiam Thuringiae, quam seri-  
em vicinam, respicit, hinc priores series,  
si Thuringiae fines circulo oblongo cir-  
cumscribas, proxime hanc lineam attin-  
gunt; sequens series iam aliquatenus re-  
cedit, et sic semper series a serie, usque  
ad ultimam testaceam interiorem, solum  
Thuringiam occupantem, recessit.
- f) Talis recessus totalis absque fluminum  
diminutione non eueniet; hinc simul se-  
quitur, mutationem status interni vel ex-  
terni, quaecunque harum prior, et alteri-  
us causa fuerit, semper concomitatem fu-  
isse recessu seu diminutione fluminum.  
Haec diminutio non inuoluit imminutio-  
nem aquarum marinarum, cuius nullum  
indicium habeo; sed remoram, quae li-  
beriori motui, ceu essentiali fluminis, oppo-  
sita fuit.

g) Hae

g) Hae remorae sunt ipsae series, atque potissimum nouissime absolutae. Ponas, alluuii aut fluminis motus spacio seculi cuiusdam in iisdem lineis permanisse, et a latere sibi aggeres exstruxisse, seu montes seriei; certe mutatis post seculum his lineis motus, dicti aggeres seu montes plures nouis fluminibus remoram exhibere debent; spatium igitur minus fluminibus nouis in multis locis, in primis autem versus ambitum, tanquam sempiternam remoram, conceditur; hinc flumina prius versus ambitum, tandem etiam aliquatenus versus interiorem regionem, abbreviari, ergo et series magis repositae exstrui debent.

## §. 63.

Duratio statuum maris (53 a. 62) qua series quaedam tot stratis fuit exstructa; ut summa minorum (52) temporum, seculum dici potest; lustrum autem, si statumen tantum aut partem seriei sumas.

- a) Seculum igitur seriei in eo exstructae cognomen habere potest, vt seculum testaceo calcarium, quo simul statum mari internum seu constitutionem designat.
- b) Quatenus autem constitutio non semper plane eadem fuit, sed varia stratorum luta produxit, eatenus tam constitutio, aut simplex constans, aut varia et inconstans, quam seculi partes, lustra, cognominibus distingui possunt.

## §. 64

## §. 64.

Tempora haec minora (52, 63) ratione celerioris aut tardioris praecipitationis luti huiusque indurationis differunt.

## §. 65.

Luta fluidioris massae, vt pura calcaria, argillacea, et mobiliorum molecularum, vt arenacea, facilius sese miscent, difficilius solidescunt, quo ipso cohaesionem nouo luto longius concedunt, atque lineam contiguitatis, ceu terminum strati, serius exhibent.

## §. 66.

Luta salina citius nouo luto, ob rigiditatem salium, qui inspissati tantum tanquam puluis, aut cristallisati, fundum petunt, resistere possunt, nisi à terreis moleculis absorpti, quod in luto facile evenit, cum his simul descendant.

a) Hinc luta salibus mixta citius indurescunt; quo minus vero salis continent, eo maius tempus requirunt, vt resistere possint; vnde gypsea strata, vix decimam pollicis partem crassa, tuto separari possunt, et argillacea, aequae crassa, inter dura arenacea strata nondum lapidefacta sunt.

## §. 67.

Inter quaecunque igitur strata separabilia tantum temporis absque depositione noui luti

Iuti praeteriit, quantum inferius stratum ad eam duritiem requisuit, qua nouum latum respuere posset.

- a) Hoc intervallum incertius adhuc reddit tempus strati indefinitum (52) et praeter diuersum stratorum numerum diuersam seculorum et lustrorum durationem efficere potuit.
- b) Vero simile quidem est, etiam post iam induratum stratum longius tempus absque ulla iuti depositione praeterfluxisse, quo interuallum hoc adhuc increceret; verum nec huius nec illius temporis certa determinatione ad nostrum scopum opus est.

### §. 68.

Strata varia, ex marino fluido praecipita, aut a varia particularum grauitate, aut a prorsus varia constitutione maris interna, seu immixtione particularum fluitantium, (66) diuerso tempore, producuntur.

### §. 69.

Strata, quorum inferiora sunt specifice leuiora superioribus, non oriuntur a grauitate specifica, sed a diuersi temporis constitutione varia.

- a) Dubius sum, an ex praesenti grauitate specifica strati lapidefacti, eandem huius strati luto primum fuisse grauitatem certo concludere possim; (26. c.) Iuti autem grauitas specifica heic reputanda esset, si

eam nosse possemus; nam luti grauitas in causa fuit, ut ex reliqua massa fluidi secederet, et prius succedente descenderet, si eadem massa lutosa plura simul strata exhibere poterat, quod aequa dubium adhuc videtur. Condensazione, induratione, lapidificatione, grauitas, prorsus a luti grauitate diuersa, oriri potuit.

### §. 70.

Ordo stratorum, tam ferierum montanorum, quam statuminum, non conuenit grauitati specificae (26. 27).

- a) A varia igitur temporis diuersi constitutione (53. d) sunt exorta.
- b) Hinc sub eodem statu maris externo varia fuit huius interna constitutio.

### §. 71.

Constitutio maris (53. d) aut ab interna vi, aut ab externa variatur.

- a) Interna vis, quae aquarum marinorum particulas inter se commouet, praeter varium calorem, et mixtionem aeris externi sensim absorbiti, variam euaporationem, variam aquarum pluivialium et fluivialium admixtionem, a varia indole et nexu fundi marini, et aquarum ad reactionem usque diuersarum, producitur; ob fluminum autem profundiorem motum, et aquarum specialem altitudinem in primis efficax videtur.

b)

- b) Quare vis interna, ex propria maris pes-  
nu, vel particulas ex salina maris inde-  
cedentes (53. a) seponit immedie, vel  
per corpora vegetabilia, maxime autem  
per animalia, paeprimis testacea, in aquis  
marinis procreata et nutrita, mediate ter-  
rea producta contribuit.
- c) Verum quae causa secessum particula-  
rum ex salino maris mixto tam per se pro-  
ducat, quam sic varium efficiat, incerti ad-  
huc sumus, dum accolae maris nullum ten-  
tamen hac in re fecerint; an euaporando,  
putrefiendo, resoluendo, combinando,  
praecipitando, haec diuersae terrae ex mixto  
salino separentur vel procreentur? Quae  
argumenta ab effectu, seu terreis stratis  
montium, desumi possint; proxime vide-  
bimus.
- d) Dein vis externa a longinquo particu-  
las fluitantes affert, cuius lenior motus  
fluctuatio, fortior procella dici potest.
- e) Tam vasta regio maris varia hinc inde  
continet producta specialia, quae dum  
aquaee a ventis, versus hanc illamue oram,  
fluctuando mouentur, inter luta aliis re-  
gionis marinae miscentur.

## §. 72.

Vis igitur interna, ob particulas, ex  
sale marino separatas er corpora marina,  
strata magis homogenea naturalia produ-  
cit.

- a) Nam corpora vegetabilium et animalium marinorum (71. b) non pro peregrinis assumi possunt, quatenus heic terream indolem tantum consideramus; licet ob specialem animalem aut vegetabilem mixtionem strata composita, neutiquam vero heterogenea, exhibeant.
- b) Series igitur corporibus marinis referatae non pro heterogeneis, bene vero pro compositis sunt reputandae, cum heterogeneum tantum corpus dici possit, quod mari per se non competit.
- c) Omnes autem series ad fundamentum usque continent testimonia marina, etiam si corpora ipsa marina ob acorem litorum euanuerint, et icones vel tantum nucleos aut cauamina reliquerint, ut argillacea, arenacea, etc. luta monstrant; secundum haec igitur testimonia non heterogenea denominari possunt (b;) potius argumentum inde desumitur, originis eas marinac esse.

## §. 73.

Fluctuationis seu vis externae (71. d e) motus, particulas ullibi fluitantes, marinac tamen sibolis, cum corporibus marinis aliorum prouochit, et strata magis mixta vel composta, nec non confusa ibi reddit, eiusque modi statumina ut plurimum, series rarius, nisi quoad stratorum colorem anomalum, procreat.

a) Cum omne lutum serierum ex ipsis aquis marinis a vi interna producatur (71. a. b.) varia vero quae accidunt, hoc lutum in variis regionibus quoad genus aut speciem mutare possint; hinc fluctuatio aliis regionis marinae lutum alteri vel tantum immiscet, vel prorsus ad breve tempus interponit; hoc, praeter statumina, per solius arenaceae seriei strata argillacea demonstratur; illud per strata, colore metallico conspurcata, in seriebus alias sterilibus comprobatur. (35. a)

### §. 74.

Procellae (71. d) turbulentia vis particulas et moleculas, vel ad alias series, vel ad terram continentem pertinentes, conuoluit, et strata heterogenea efficit, uti per strata scissilia (16. b) seriei calcario metallica, et seriem carbonum, (23. a) elucet.

### §. 75.

Iam quaedam constitutionum exempla contemplari volumus, quo per alternationem productorum eo dilucidius appareat, mare hoc vestis, per constitutiones varias, etiam terras genere diuersas, licet nonnunquam post longa temporum interualla, produxisse (50. 51. 52.); nec obiectio, nos ex sale marino tale quid nondum imitari posse, valebit, cum plurima pars productorum naturalium ultra nostram imitationem adhuc po-

sita sit. Nec desudauimus hucusque in hoc genere laborum. Sic seculi ultimi (10) status internus seu constitutio maris talis erat, ut terra salis marini calcaria vel margacea versus medium Thuringiae et Saxoniae prae-cipitaretur, atque omne genus corporum marinorum, vndationis motui obsequiosum, ea terra inuolueretur, et saepissime conser-varetur.

a) In indagatione calcariae originis, modus, quem natura in praecipitatione terrae ex salino mixto obseruat, nobis sit norma. Repetitae vero celeres euaporationes, at-que tenuiores solutiones plurimorum sa-lijum interiorem nexus destruunt, vt ter-ra, primum sal exhibens, demum in eo-dem fluido irresolubilis restet, et sub for-ma luti fundum petat. Nam fluidi pars quaedam subtilior, terram suo consortio fluidis amicam, seu salinam, reddit, hinc peracto hoc subtili vaporum celeriori mo-tu, restans fluidum huic terrae viduae ne-xum amplius non concedit. Tunc atte-nuatio seu noua dissolutio fluidi magis ne-cessaria est, quam sola euaporation, fluida magis incrassans et terras magis in con-sortio fluidi retinens; attenuatum autem fluidum talem terram viduam eo facilius ad fundum dimittit. Verum nec calor so-lum haec euaporando praestat, sed et fri-gus cum calore alternans, nec non putre-factio, item salis aliis fortius connubium,

hanc

hanc efficit terrae praecipitationem in salibus mediis, terream structuram seu crystallisationem assumentibus.

b) Nunc celerem evaporationem, cum alternante tenuiori resolutione, sali marino tribuas, secundum naturae consuetos modos, (nam rariores, proxime (a) citatos, modos terrae calcariae frequens ortus heic assumere vetat). nempe calores ventosque continuos, et fluuiorum atque pluuiarum copiosas interpositiones: atque naturae facilem, fere semper actuum, modum, terram salis marini alcalinam deponendi, facili perspicies negotio.

c) Attamen haec terrae calcariae excretio et praecipitatio absque quiete fluidi salini (61. c.) vix obtineri potuit (quod aliorum fluidorum terreae praecipitationes edocent); hinc toto hoc seculo mare vetus nullo heterogeneo (seu qui mari per se non competit) motu, nisi primum sub Iusto statuminis turbatum est, et motus aequalis seriem magis continuam extrahere potuit. (10. a) Nullam etiam alterationem, quae salem quendam mineralem exhibere potuerit, salina moles experta est, nisi portionem illam, stratis calcariis intimius admixtam, quae testarum alcalinam terram lente resolvit eiusque locum occupauit, huc referre velis. Vnde proles animalium testaceorum in hac serie, quae aequa alcalina est ac testae, per plurima

strata, nisi in magis salinis, quae figuram tamen conseruarunt, sospes permanxit.

d) Statumen vero hanc seriem antecedens, (11) vario modo tam heterogeneo motu turbatum, quam aliena immixtione conspurcatum fuit, cuius praecipuum testimonium gypseum genus exhibet, quod saepissime cum margaceis, lapideis animalis, rubrisque argillaceis alternat, praeprimis autem specialia statuminis loca occupat, quae simul indicant, hanc crystallizationem gypseam non ubique locorum contingere potuisse, et fluminis motui magis obsequiosam fuisse, quam ullum aliud latum, ipsumque alias mobilissimum argillaceum, cum loca, quibus largiora sunt strata argillacea, per omnem fere statuminis altitudinem solum occupauerit; ast alibi ne tenue quidem stratum gypseum huic statumi inhaereat, licet reliqua strata non deficiant, quamvis graciliora sint.

e) Quatenus autem hic motus, quo terra huius seculi calcaria verosimiliter producta fuit, vniuersalis et sempiternus est, (b) eatenus per omnes series magis haec terra primitus ex sale marino separari. (53. a) atque aliis demum causis accedentibus in aliam terram, vt argillaceam arenaceam, transmutari debuit; hinc per reliquas terrarum separationes semper huius, a sale marino iam separatae, terrae transmutationem intelligo, licet breuitatis

tis causa hanc intermediate terram omittam. Etenim hic vniuersalis modus innumeris modis secundum vim agendi atque effectus variare potest, hinc per eiusmodi variationis explicationem non simul vniuersalem sempiternum modum reiicio, quod e proximarum constitutionum explicatione perspicies.

f) Speciale huius seriei productum theoriae gratia simul explicare iuuabit, nam versus planitiem Saxoniae, ut inter Leucopetram et Lipsiam, haec series copiose continet pyrimachum corneum, quem inter silices referunt, quemque in nostra regione non facile inuenies, nisi ubi testaceorum foetus, hoc lapide petrefactos, resperias. Haec obseruatio, cum aliorum obseruatione, nonnulla animalia testacea foetus suos primum mucagine inuoluere, combinata, verosimile reddit, lutum huius seriei mediante hoc muco animali in pyrimachum silicem transire. Pyrimachus autem cretae saepius inhaerens eiusdem est indolis, licet forsitan ad aliam seriem (14) pertineat. Animalem autem mucaginem vim singularem versus terram calcaream, huius lapidificationem specialem producentem, possidere, testatur albumen oui, et coagulum lactis cuius calce lapidescens,

## §. 76.

Penulti mi seculi (12) constitutio, prorsus diuersa, nullam terram calcariam ex sale marino heic praecipitari permisit, sed ut in grana salina, iam arenam exhibentia, transiret, iuuit; nec tamen haec constitutio tam constans fuit, quin eam argillaceae fluctuationes (73) inchoauerint, interruperint, et finito hoc statu externo seu flumine, a lateribus subsequentis noui fluminis obtexerint, ultimaeque seriei statumen (75. d) formauerint.

a) Arena quoad splendorem, pelluciditatem, et figuram salinae indoli proxime accedit, licet non tam facili negotio ac caeteri sales possit resolvi, hinc pro sale medio minerali (39. d) reputanda, et ob suam salinam faciem inter omnia maris producta maxime pro sobole aquarum salinarum, quales marinæ sunt, assumenda est.

b) Tanquam maris salina soboles per singularem separationis et crystallisationis (46) modum ad tantam duritiem sine dubio transiit. Sic dictus autem liquor silicum, per arenam paratus, huius terram alcalinam, et sal vitri, communi vitro, ex arena parato, innatans, acidum vitriolicum simul arguit, hinc singularis terrae alcalinæ praeparatio et specialis acidi vitriolici immixtio euenit, vt sal medius irresolubilis euaserit. c)

c) Arenacea strata praeter haec granula, salis formam referentia, adhuc gluten, quod granula in lapidem coegit, tam alcalinum quam argillaceum, continent, ea tamen cum distinctione, granula arenacea cum argilla mixta magis pulueri quam granulis accedere; cum alcalina vero terra mixta magis granula referre; illa priora seu inferiora, haec posteriora seu superiora strata constituunt.

d) Verum glutinis tam alcalini quam argillacei praecipitatio et modificatio cum arena simul contigit; hinc per separacionem terrae argillaceae reliqua salina soboles tantum in puluerem arenosum transire, per alcalinae vero excretionem in arenosa granula concrescere potuit. Idem sal, si in puluerem redigi debeat, saturatam solutionem, celerem euaporationem atque secessum; sin in crystallos, magis lentum incrementum requirit; hinc ab argilla acidi vitriolici immixtio et salis inde nati saturata solutio atque depositio accelerata, a terra alcalina vero magis retardata fuit.

e) Argilla autem maxime per quoddam pingue glutinosum distinguitur ab alcalina terra, hinc praeter acidi vitriolici communem immixtionem pingues argillae particulae salis arenosi celere concrementum adiuuarunt; alcalina autem terra pingui suo rariori magis retardauit, hinc are-

arenosi salis compositum praeter acidum vitriolicum pingues simul particulas ad suam mixtionem requisivit, quod et sal vitri, dum soluitur, per odorem foetidum sulphureum evincit, et micaceae particulae interspersae per fixum pingue itidem indigitant.

f) Huius igitur seculi constitutio tam per acidi vitriolici (6) quam largioris pinguis principii admixtionem a priore differt, vnde tam argillaceae terrae, quam arenae generatio, et utriusque per totum seculum alternatio comprehenditur.

g) Cum statumen ad seriem pertineat. (6.

b) hinc in statumine simul ratio latere potest, quomodo series secundum suam mixtionem ex aquis marinis sit producta. Statumen autem quoad maximam partem constat argilla rubra, cuius ruber color, prout et Lehmannus in scripto citato iam conclusit, color est heterogeneus, violentam particularum ferrearum per ignem aut acidum salis transmutationem indicat. Natura vero talis violenti effectus causam nondum, nisi per motus terrae, et vapores sulphureos, lutoque rubro turbidas aquas, eos concomitantes, exhibuit. Hinc post seriem farinaceam, quam haec series arenacea cum suo statumine sequitur; motus terrae violenti hoc mare turbarunt, et luto marino, per se semper alcalino, tam rubrum colorem, quam partes acidas vi-  
trio-

triolicas et pingues sulphureas immiscuerunt, rubramque produxerunt argillam.

b) Strata vero rubra, tam argillacea quam arenacea, motus terrae tam violentos denotantia, in inferiori seriei semisse, seu quod idem est, in priori tempore (63) largius et frequentius alternant, et in superiore semisse seu successu temporis rarius sunt deposita, et euincunt, hos motus primum violentos saepius iteratos fuisse, in sequenti vero tempore rarius, nec tam violentos contigisse; licet sub initium superioris partis, ut strata docent, fortiores fuerint, ac sub finem praecedentis semissis, vbi talia strata non ita alternant. Hinc patet ratio, cur superior semissis hinc inde reclinata (12.e) iaceat, nempe ob nouos terrae motus hoc tempore irruentes.

i) Motus autem hos simul per ventorum vehementem et frequentem (61.c) agitationem mare pristinum commouisse, hodierna comprobat experientia, hinc largior et celerior euaporatio prope motus violentos, lentior et lenior circa mitiores motus aquas marinas ad depositi-  
nem saline suae progeniei disposuisse patet, vnde praeter alias causas (c. d. e.) simul puluerulentam arenam per priores, magis granulosam per posteriores oriri potuisse cognoscere; in vniuerso autem montes magis diuisos quam coadunatos exstrui debuisse. (12.)

k) Acor igitur, per luta sulphurea turbida, tam argillaceis quam arenosis mixtisque stratis communicata, simul causam, quae corpora alcalina marina (12. b) destruxit, exhibet. Hinc in regionibus, quibus fluctuatione arenam et argillam a longinquo tantum advexerunt, praeter regiones his motibus immunes, haec corpora alcalina salua persistere potuerunt, dum acor, per fluidum a loco, terrae motibus succusso, distans, fluctuando mitigari aut elutriari potuit.

## S. 77.

Antepenulti<sup>m</sup> seculi (14.) constitutio equidem talis erat ac ultimi testacei, non aequa tamen margacea calcaria terra praecipitata fuit, sed salinae potius indolis, ut subtilissimum hoc compactum sal aemuletur farinam compressam, nisi per sal pinguius fluidius denuo penetratum bonae calcis nigrae speciem exhibeat.

a) Vicissitudo serierum (10-25) testis fide dignus est, eundem maris internum statum, licet longo temporis spatio absuerit, redire, easdemque causas restitu*j* potuisse. Hinc causae, quae huius seriei calcem propagauerunt, et per longaeuum arenaceae seriei bifidum seculum absuerunt, sub testaceo seculo tamen redierunt; hinc positis iis generalioribus causis, calcem testacei seculi producentibus, specialem tantum, hanc fari-

farinaceam determinantem, indagandam habemus.

b) Differt haec calx vel per puluerulentam consistentiam, ut cretae instar digito sicco abstergi possit; vel per farinaceam faciem, quae puluerem salinum celerius praecipitatum aemulatur; ubiuis vero et praecipue per absentiam testaceorum, ne dicam corporum, quin et imaginum; tandem hinc inde tantum per specialem stratis iam absolutis denuo additam plinguem salinam indolem, quae partes stratorum duriores splendentes griseas nigrasve reddidit.

c) Luta igitur haec post excretionem per se magis iam siccā fuerunt, nec tam liquidam formarunt substantiam, vt tenax stratum exhiberent; quod vnicē ob tardiorē particularum salinarum praecipitationē euenit, cuius et illa species, salinum compactum puluerem referens, testis est,

d) Hinc non solum tam lenta secretio ac in testacea serie (75.); verum potius lentior heic assumenda est, quae terram maris alcalinam magis sub pulueris quam luti aequalis teneroris forma deposuerit. Nam ponas aquam, ob plurimum particularum simultaneam secretionem, turbidam factam, tunc lutum, harum particularum cohaesionem simul augens, tenacius praebebit stratum, quam si idem quantum particularum, successive per parnas minus inter se cohaerentes portiones se-

cretum, successiue descendat, quod puluerulentum magis seu minus inter se cohaerens stratum efficiet.

e) Ex hac tardiori et successiva terrae calcariae secretione simul patet, qui fieri potuerit, ut quaedam strata magis puluere salino videantur composita; lentissimam enim praecipitationem supponunt, qua particulae secedentes subtilis illius acoris, qui cum terra alcalina sal marinum constituit, aliquid retinent, ast iam sub prorsus alia proportione et actiuitate in hanc terram, ex fluxili salis marini indole in refractariam calcariam deductam, vt plane aliis generis salem, nempe lapideum puluerulentum constituant.

f) Hic acor salinus, ad sal marinum adhuc pertinens, suffecit ad corporum testaceorum resolutionem, quibuscum per specialem huius animalis terrae differentiam non facile in nouum corpus salinum transfit; hinc nec more acidi vitriolici corpus testaceum in salinum transmutare, eiusque figuram retinere potuit, quo omnis generis testacei annihilatio (14. e) per totam hanc seriem comprehenditur.

g) Hanc vero constitutionem non prorsus immunem fuisse aliena immixtione, testantur stratorum nigricantia loca (14. c); idem enim stratum non per omnem extensionem, sed per partes tantum, nigricans est, in primis circa locum, crassiora strata

strata continentem, aut circa fissuras, quoad exteriorem rimarum superficiem, flauedine quadam tinctas. Odor autem sulphureis per ignem ex his nigricantibus frustis magis exspirans, hoc sal pingue ad genus vitriolicum referre subet; dein locorum differentia, illud hinc inde tantum per fluminum vindicationes immixtum esse suadet.

h) Hinc (ob defectum testimoniorum, post Iustrum statuminis per reliquum hoc seculum motus terrae hanc regionem conturbasse) probabile sit, hoc sal pingue vitriolicum, huminibus more gypsei (25. d) magis obsequiosum ac quoad vim mitigatum, in huius regionis loca fuisse deuolutum. Etenim hoc statumen, per gypsea et rubra argillacea strata, acidi vitriolici praesentiam quidem euincit, an vero posse ita idem terrae motus lenius continuantes, an longinquiores hoc acidum pingue, per seriem et seculum dispersum, progenuerint, dubium permanet.

i) Per observationes constat, vix annum praeterire, quin motus terrae leniores hinc inde per terram sentiantur, licet ob levitatem vix ullus effectus illis tribuitur; praeter hos autem sensibiles adhuc motus, leniores insensiles mare halitibus suis sulphureis peruagari debent, quibus tales leniores acidi vitriolici effectus in sal marinum tribui possunt. Acidi atmo-

sphaerici effectus, si quis est in aquam marinam, ad uniuersalem sempiternum (15. b. c.) modum, quo aquae marinae alterantur, referendus est, ac pro ventorum exagitatione, nec non pluviarum immixtione plus minus validus censendus, cui, si liceret, argillæ purioris albae et arenæ purioris pellucidae productionem, sub diversa proportione admixti pinguis atmo-sphaerici, tribuerem.

k) Plura constitutionum exempla lector benevolus ex serierum supra descriptarum (16 - 24.) indole eruere valet.

### §. 78.

Iam fluminum (56.) marinorum seu statutus externi (62.) qui mari aequo diuersus fuit ac internus, exempla quaedam adduca-mus, et easdem series, quas ad statum internum explicandum adhibuimus, heic prosequamur. Directio vero situs, harum trium serierum (32. 33. 34.) cum statuminibus, indagationem facilius admittens, demonstrat:

I. Motum fluminum marinorum, depositio-nem fluitantis luti intra limites seriei, e. g. ultimae calcareae et farinaceae, coercen-tium, per tota haec secula permansisse eun-dem, nec a linea recessisse, nisi primum, iusto statuminis, paululum forsitan declinauerit, cum gypsea strata cum argillaceis alternatim hinc inde producta fuerint, quibus absolutis demum flumen in lineam

constantem montium testaceorum aut farinaceorum transfiit.

a) Series enim utraque calcaria supra sua basi ita est exstructa, ut extra hanc nullum talis seriei stratum reperias. (29)

II. Causam, quae flumina maris ita determinauit, non simul speciem aut genus luti determinasse.

a) Cum statumina, prorsus a seriebus diversa, in eadem seriei basi exstructa per easdem fluminum vndationes, ait tempore priores, producta sint, atque sic luta varia alternauerint durante eodem flumine.

III. Motum flumen in seculo arenoso per huius semissem tantum permansisse eundem, atque dein aliquantum hinc inde deviisse.

a) Nempe a statumine ad medium seriei partem (12, e); etenim montes quidam arenacei a priori directionis linea circa medium recedunt; unde seculum arenosum duas comprehendit flumen directiones, et pro dupli seculo assumi posset, si per status externi durationem secula maris pristini dimetiri velles.

IV. Statum igitur externum seu motum flumen absque singulari interna alteratione mutari potuisse.

a) Aliquam quidem mutationem in doles arenae varia indigitat, cum arena inferioris semissis ignem magis ob argillaceutri gluten perpetiatur; superioris au-

tem, magis aëris iniurias ob calcareum glu-  
ten perferat; generalis tamen non eve-  
nit mutatio.

V. Motum fluminum marinorum nunquam  
per omnia secula, quoties lutosa materia  
adfuicit, quievisse, ut lutum seu stratum ex-  
tra lineam seriei inchoatae secedere et fun-  
dum petere potuerit;

a) Aut, si malis, lutum nunquam produ-  
ctum fuisse, nisi cum flumina fuerint in  
motu, cui semper eadem fuit linea, (n. i.)

VI. Nec limum purum, series calcarias te-  
gentem atque ultra suas series non exten-  
sum, alia flumen directione ac seriem  
ipsam sepositum esse, atque potius chara-  
cterem exhibere, quam longe calcaria sub-  
tus latens series extensa sit, (10. f. 14. f.  
16. d.)

VII. Motum hunc flumen ne mobilissima  
quidem strata, vt margacea, argillacea,  
nec ipsum sepositum limum tam intra li-  
mites seriei seu in latere fluminis, quam  
extra hos limites in aliis seriebus seu sub  
ipso flumine, iterum excitasse, dum nul-  
la aliena fragmента reperiuntur, nisi ra-  
rius. (17. b)

VIII. Motum igitur superficie marinae ve-  
lementicrem non penetrasse ad haec pro-  
funda strata, (56. e) nisi vndis, lutum  
molle vndularum modo commouentibus,

a) Ut strata vndulata demonstrant, e. g. suum stratum arenaceae seriei, hinc inde undulatum, vt alia mittamus.

**IX.** Seriem igitur recentem, adhuc mollem, flumen impetui non expositam, aut sub eis ortam fuisse, sed ortum suum prope flumina in locis (46) quietis obtinuisse, vnde ne mobilissimum quidem lutum flumine commoueri et aliorum protrudi potuerit.

**X.** Hinc flumen directionis lineas per intercapendum lineas designari posse (28. sq. 56. b.)

**XI.** Inde comprehendendi posse, qui serierum strata positu adeo erecto sibi inuicem imponi, et montes inde exstrui potuerint; vis enim fluminis per intercapendum transiens omne lutum ad eundem locum remisit, cum per tam longum tempus semper eadem fluminis vis et directio permanerit.

### §. 79.

Statum in harum trium serierum, quatenus eundem situm; neutquam vero tales massam habent, euincunt.

**I.** Nouum flumen seu nouum statum maris externum (62) horum seculorum ab initio massam argillaceam copiosius continuisse. (11. 13. 15.)

**II.** Originem igitur massae argillaceae, et causam noui fluminis saepius simul existisse.

III. Causam argillaceum lutum producētem durante seculo arenaceo per vices continuasse. (12. 76, f.)

IV. Durantibus autem saeculis calcariis ne minimum vestigium talis causae et effectus sese exseruisse. (10. e) scilicet post statumen absolutum.

V. Statum externum seu flumen semel mutatum, binas praecipue constitutionis seu status interni mutationes, produxisse; quarum altera primo statumen, quoad luta plus minus alternans, altera in successu seriem ipsam efficit. (62. b. c.)

VI. Priorem constitutionem noui status marini ut plurimum quoad stratorum luta maxime variabilem fuisse, et hinc singulares species lapidum, in nulla serie alias reperiundorum per varias mixtiones statuminum produxisse. (11. 13. 15. 17. etc.)

VII. Sic bis sub lustris statuminum et quidem calcariarum serierum, causam quandam simul existisse, salis marini lutum copiosissime ad cristallos gypseae indolis redigentem, atque ut naturale sal, strata formans, quibusdam in locis per vices seponentem. (11. 15.)

a) Celeberrimi Marggrafi obseruationes euincunt, selenitem per terram calcariam et acidum vitriolicum componi; verum acidi vitriolici et terrae alcalinae frequens concursum prouenit absque transmutatione selenitica; hinc appetet, singulari-

gularem praeparationem et determinacionem aut terrae alcalinae aut acidi vitriolici requiri, nec quamicunque terram alcalinam per quodecumque connubium acidi vitriolici gypsum, aut arenam, aut calcem sulphuream producere potuisse.

VIII. Maximam partem huius argillae (n. 1.) rubram esse, reliquam magis margaceam flauescere aut viridescere; causam igitur, ruborem luto impingentem, saepius sub statuminum lustris adfuisse.

a) Rubor magis est ferreac indolis, hinc causa ferrum alibi in rubrum tincturam resoluens, (76. g. b.) quae virtus soli igni competit, praecessisse debet, et saepius repetita: nisi acidum salis, quod ferreis particulis etiam ruborem inducere valet, subinde causam dicere velles.

b) Statuminum prima strata argillacea semper viridesunt, et subsequentia demum rubent, hinc ruboris causa non illico sub novo flumine efficax fuit, sed aliquo effluxo tempore, atque post ipsius gypsum primos ortus, prodit.

### S. 80.

Consummatio trium serierum calcariarum per limum, et arenaceae intermediae, absque limo, peculiares observationes et conjectaria suppeditat; etenim

I. Limus inter strata serierum referri non meretur, licet alicubi stratis calcariis lar-

- gios immixtus sit, cum nullibi tantum coagimentum strati nomine dignum reperiatur; indigesta vero moles strati, non men non meretur.
- II. Hinc lutis naturalibus, quae ex salina maris indole deposita fuere, (72) non ad numerari potest, sed
- III. Speciali causae efficienti, post consummatas series calcarias (10, 14, 16.) maxime efficaci,
- IV. Quatenus autem non ultra suas feries calcarias extensus est, et si summa talis seriei superficies, pluviis riuiulis non obnoxia, passus tantum aliquot lata sit; limus etiam in eo tantum loco reperitur; (40, f, 14, f, 16. d.)
- V. Eatenus apparet, hunc limum prius productum, vel ad has oras prouectum esse, quam flumen directionem mutauerit, aut nouum flumen seu nouus status (62) prodierit.
- VI. Prout igitur limus absque ullo vestigio argillae seculum conclusit, sic argilla nouum seculum inchoauit (79, I, II.) absque limi admixtione.
- VII. Causa igitur limum producens sub novo flumine minus efficax fuit, prout argillum exhibens nil valuit per omnia secula calcaria, (10, 14, 16.)
- VIII. Quandiu vero tam constitutio limosa, quam interuallum ad argillaceam usque, seu quantum tempus a fine calcariae con-

stitutionis, argillam abhorrentis, ad argilla-  
ceam usque, calcarias terras non ita ab-  
horrentem durauerit; id aequa tenebris ob-  
volutum est, ac aliorum temporum men-  
surae.

**IX.** Consummata serie arenacea nullus li-  
mus purus depositus fuit, licet summa stra-  
ta hinc inde limosi quid contineant. (12. d.)

**X.** Hinc causa, limum efficiens circa terminum  
seculi arenacei quidem aequa effi-  
cax fuit, post absolutam vero arenam nul-  
lum tam clarum vestigium exhibuit, ac in  
tribus ultimis terminis serierum calcaria-  
rum. (III.)

**XI.** Vnde limus purus absque vestigiis are-  
natis quidem, vix autem absque particu-  
lis calcariis reperitur.

**XII.** Si stratum spurium statuminis metallici  
(17. b.) pro complemento limoso impuro  
seriei albidae (18. e.) assumere velles, non  
repugnarem, cum fragmenta limosi strati  
atque limus impurus seriei sibi conve-  
niant, et utraque mox concussorios, li-  
num cum fragmentis horumque glarea  
confundentes, designent.

### §. 81.

Haec caeteris series, mutatis mutandis,  
aequa conueniunt, hinc ampliori explana-  
tione reliquum serierum supersedeo; quae  
vero speciationi ex reliquis series deduci  
possunt, consectaria, ad ampliorem tractatio-  
nem remitto.

a) Desunt quidem argumenta: mare praesens eodem modo series construere; verum ab effectu pristini maris, ante oculos nobis posito, ad praesentis efficaciam concludere possumus, cum nobis effectus praesentis maris ex littoribus aut minoribus insulis tantum praesumere liceat. Quam parua vero sit haec ipsa cognitio, unus quisque lector perspiciet, cum praeter paucas Marsigli, Planci, Donati, et itinerariorum observationes, vix sufficiens notitia littorum, ne dicam, fundi marini, nobis adhuc innotuerit: huic igitur serierum explicacioni, si hallucinetur, condonandum est.

## §. 82.

Constans igitur directio fluminum (56. c.) marinorum per seculum quoddam cum constante aut alternante constitutione (53. d.) maris, produxit aut montes similares aut dissimilares, semper altitudinis eiusdem physicae. (38.)

## §. 83.

Constans directio fluminum per eadem loca atque per plura secula, montes ex duabus vel tribus seriebus compositos altissimos exstruxit. (78. i.)

## §. 84.

Directio haec in quocunque seculo (63.), aut semisse, aut lustro, deuians alibi, illino montes aut partes montium in alia linea construxit.

a) Ut montes a latere vel in inclinato plano sibi accumbentes.

§. 85.

Montes per seriem testaceam calcariam (10) consummati, ad ultima secula pertinent, sint humillimi sint altissimi.

§. 86.

Montes serie quadam fissili (18. 19. 21) consummati ad priora secula pertinent, sint altissimi, sint humillimi.

§. 87.

Si linea directionis unius seriei lineam alterius seriei in monte quodam secauerit, ibi mons altior euasit aliis huius seriei, quod tab. 5 demonstrat.

a) Linea A B designet ascensum montium arenaceorum, cui versus horum altiores montes linea C D in calcariorum montium tramite decurrens propior accedat, tunc exstructio montium calcariorum super altiores montes arenaceos, magis magisque exaltatos, praestauit, ut E E E altiores reliquis suae seriei euaderent, et C B altissimo arenaceo monti B D incumbens, aequo altissimus exsurgeret inter reliquos calcarios montes.

§. 88.

Si haec linea directionis prope declivia altiorum prioris seculi montium transferit, montes posteriores humiliores erunt prioribus,

bus, aut aequales tantum; cuius explicatio-  
nem tab. 5 aequa suppeditat.

a) Linea C D exstructionem montium cal-  
ciorum designans, dum prope declivia  
montis arenacei F, illius regionis altissimi,  
decurrit, montem calcarium G, ad radi-  
cem huius arenacei montis F exstructum,  
humilius positum, seu minus exaltatum  
constituet, licet eandem physicam altitu-  
dinem (38) cum reliquis E E E habeat.

## §. 89.

Strata infima et series infimae sunt in situ  
inclinato posteriora et superius emergentia,  
hinc et montes harum serierum.

## §. 90.

Series igitur et montes tali modo ultra  
caeteros exaltati, si temporis successum per-  
pendas, nihilominus infimi et primi simul di-  
ci possunt, ut inferiores in tali positu, ultimi  
et summi, cuius rei exemplum tab. 3 fistit.

a) Fundamentum cum statuminibus et se-  
rie A B C vt minus in aprico posita re-  
mittamus; coeruleam vero fissilem seriem  
maxime eminentem, et rubram, ambitui  
accumbentem, pro exemplis assumamus,  
nam viridescens fissilis vix tam profunda  
descendit, nisi statuminis vices replens.  
Cum igitur montes seriei fissilis coeruleae  
D D D serie viridecente E fere semper  
(exceptis montibus Dd, Dd) tectos per-  
spicias, earumque seriem continuam in-  
fra

frā rubram, calcario metallicam, farinaceam, et sic porro proserpere, fissilem autem rubram E eodem trāmite progredi annotes; nonne montes harum serierum primos atque mathematice summos, et series tamen simul physice infimas nominare poteris? Eodem iure montes seriei testaceae K, arenaceae I et proximarum H G vltimos humillimos dicere, et series horum montium per rationem physicam summās tamen nuncupare poteris.

b) Vnde montes ambitus Thuringiae, licet altiores, tamen infimi et primi; interiores autem Thuringiae montes summi et vltimi respectu physisco dici possunt, quantum nempe hi illis insident, et post illorum ortum, longo temporis intervallo transacto, super illorum partem extensam sunt exstructi.

c) Basis enim semper infimum dici mereatur et cacumen e contrario summum, si physice rem consideres nec mathematice, nam continuatio serierum fissilium fit basis serierum subsequentium, vnde protuberans ambitus ad basin pertinet.

d) Hinc eadem seriei strata vlibi luci exposita, alibi in maxime profundis locis latere possunt, vt corpora, quae illinc leui negotio inuenieris, heic non nisi post descensum, nonnunquam 1400 pedum, reperias, quo ipso conclusiones ab hoc descensu profundiori tantum relativae sunt

verae, nec ultra ob alias seriei positus (3.  
b.) extendi possunt.

## §. 91.

Montes autem, ut effectus fluminum ma-  
rinorum sunt necessarium quid fundi mari-  
ni et futurae continentis, non autem acci-  
dens, nec abesse poterunt, nisi in locis,  
vbi fluminibus nullus locus datus fuit, (78  
XI.)

## §. 92.

Fluminibus autem nullus locus est datus,  
vbi nulla propensio aquarum, nec resisten-  
tia ab inaequali fundo, motum marii secun-  
dum lineam quandam determinat. (56.a)

a) Hinc in locis, vbi fundus maris planus  
fuit, planities itidem ob defectum flumi-  
num continuorum permansit, et quae-  
vis series, ut plana, alteri seriei insidet,  
magisque extensa reperitur, quod plani-  
ties Saxoniae etc. euineunt.

b) In iis autem maris locis, vbi tubera  
fundii seu montes aquis marinis motum  
fluminis impresserunt, ibi in primis  
montes denuo sunt orti, licet contraria  
aqua marinarum aequilibria in linea  
collisionis, per ipsam medianam planitatem,  
flumen continuum et intercapelinem, er-  
go et montes ab huius lateribus, licet  
rarius, producere potuerint.

c) In regionibus nullo flumine eominotis  
latum ad fundum maris descendit, prout

ex salina massa secessit, vnde plana series  
absque montibus, aut intercapedine, ceu  
fluminum productis, exstructa est, nisi  
fluctuatio a ventis regularibus vices flu-  
minum suppleuerit, et colles tantum pro-  
duxerit, vndulatim positos.

## §. 93.

Strata ex luto fluitante molli (47) non  
nisi in linea horizontali, aut inclinata, hori-  
zontali proxima, subsistunt, et hic decubi-  
tus dicendus est naturalis seu regulafis,

a) Positus omnium serierum saluarum quo-  
dammodo inclinatus est, quod per tab.  
a fundamenti, leniter acclivis, figura vero  
similiter pendet, nam inclinationis supe-  
rior pars versus peripheriam Thuringiae,  
vbiunque altiorem, respicit; inferior au-  
tem versus interiorem Thuringiam de-  
scendit, nisi mons inuerso modo prostra-  
tus limitationem, aliunde petendam, re-  
quirat.

## §. 94.

Decubitus magis (93) inclinatum, ceu  
irregularē strata, nisi iam indurata sint,  
preferre nequeunt.

## §. 95.

Strata, inclinatione magna, ne dicam per-  
pendiculari proxima procumbentia, a vi  
quadam mouente, cum iam indurata (94)  
fuerint, in talem irregularē decubitus de-  
bent esse redacta.

## §. 96.

Montium fissilium strata, raro reperimus in regulari decubitu, et fere semper in irregulari. (40. a.)

## §. 97.

Vis igitur mouens, hos montes detruisse debet in irregularem decubitum. (95.)

## §. 98.

Vis montes protrudens et concutiens dicitur motus terrae (*Erdbeben*); ob tales igitur motus hi montes aequa corruefunt, atque eo facilius, quo minus sub aquis mari- nis latitantes, arefacti et indurati fuerunt, aë praesenti tempore, unde et plures minores fissurae maiori, iam praesenti, accedere potuerunt.

a) Fundamentalis seriei strata vix unquam situm horizontalem seu naturalem habent, sed ad perpendiculari plus minus inclinata (25.) sunt, hinc aequa per motus terrae ex naturali horizontali situ in hunc irregularem sunt detrusa.

b) Per omnium vero serierum, huic fundamento incumbentium concussiones, et ho- diernas de terrae firmae concussionibus notatas obseruationes, tali generalis con- cussio mari tantum competit; hinc funda- mentum tempore concussionis aequa sub mari latuisse debet, ac series subse- quentes.

c) Quatenus autem fundamentum stratis est compositum, eatenus non solum sub mari latuisse,

latuisse, sed etiam per mare, an idem aut aliud, more nostrarum serierum (54) exstructum, et per prorsus aliam constitutionem seu statum internum pronatum esse debet.

## §. 99.

Mons plus una serie constructus, constituit iam totum, olim successive (63. 67.) ortum.

- a) Montis igitur talis inferior, et ortu prior, series, si sola irregulariter decumbit, prius concussa est motibus terrae; quum sequens series illam obtexerit.
- b) Aliquis montibus, fissili seriei irregulariter et fere ad perpendicularum inclinatae, series metallica calcaria cum statuina regulariter incumbit. (41. a)
- c) Montibus arenaceis nonnullis, plus minus inclinati, series testaceo calcaria aequi iuste incumbit. (41. b)

## §. 100.

Montium igitur fissilium concusso per motus terrae ante seculum metallico calcarium, et arenaceorum montium concusso ante seculum testaceo calcarium contigisse debet.

## §. 101.

Alicuius seriei strata, si secundum maximum aut totam altitudinem fissa sit, praecipue si versis has fissuras plus minus irregulariter decumbant, euincunt hos montes aequi per vim motuum terrae quassatos fuisse.

## §. 102.

Omnis series tali modo sunt fissae; fissiles vero simul omnium maxime protrusae. (40)

a) Omnibus igitur seriebus motus terrae vim intulerunt quassantem, fissilibus tamen maximam euersionis aut repetitam; (40. a) statimina, quatenus ad series, iis (incumbentes pertinent); (6. b) simul heic comprehenduntur.

## §. 103.

Si corpus quocunque fragile, hinc et stratis compositum, per vim deorsum prementem finditur; fissura inferius amplior fit, ac superius prope lineam pressionis, conferas tab. 9; Si vero vis quaedam id sursum tollit et rumpit; ruptura superius amplior fit, vide tab. 8.

a) Tabula 9, A A sint strata fragilia, et B vis deorsum premens; C C autem stratorum succumbentium resistentiae maiores ac in D; apparet, strata, dum finduntur, versus D ampliorem datura esse fissuram, quam versus B, quae tam fragmenta, quam puluerem detritum intra se retinet.

b) A A tabulae 8 sint strata fragilia, et B vis sursum tollens; C C autem resistentiae stratorum incumbentium maiores, ac in D, hinc strata, dum rumpuntur, versus D ampliorem dabunt rupturam seu vallein. (39. a) quam versus B, et praeter fragmenta vallem repletia puluerem detritum fluctuanti mari porrigent.

## §. 104.

## §. 104.

Si strata talis corporis non eiusdem sunt fragilitatis; tunc fissura, pro ratione fragilitatis, (98) hinc inde deflectit aut diuiditur, aut strata tantum quassantur.

## §. 105.

Vtrumque fissurarum genus (103) reprimus in his seriebus; interiores fissuras, venas (42) metallicas exhibentes, ut plurimum subtus ampliores ac superius, atque hinc inde a tramite pro indole stratum deflexas aut diuisas; exteriores autem, valliculas constituentes, prorsus contrarias. (39)

- a) Duplex igitur vis in has series irruit, altera sursum, altera deorsum strata serierum findens.
- b) Vis deorsum premens esse potest ipsa aqua aut aër, aut inferius cedens resistentia mediæ fulcri.
- c) Sursum tollens vis est aqua aerque conclusus, compressusque, calefiens, aut sublata resistentia fulcrorum lateralium, tab. O-O designatorum; A-A sit mons statumi et seriei B B, per aquam facile emolienda, aut solubili, ut argillaceo, gypseo, statumini, aut series calcario farinaceae, aliisque impositus; simulac haec series aut statumen B erit emollitum in extremis suis finibus, montis A pars C vtraque, huic emollito loco ceu fulcro lateralí incumbens, per pondus descendet, et superius

disrumpetur, ut ruptura plus minus late  
suet profunda seu vallis D'oriri possit, cuius  
autem parietes, secundum strata disru-  
pta, tunc sibi similia, obseruari possunt  
oppositi, nisi subitanea ruptura et prae-  
ceps casus partium C C strata nimium dis-  
cesserint. <sup>a) videtur quod stratum superius</sup>

Utraque vis tam deorsum quam sursum  
premens per testimonia fissurarum et val-  
lum sub motibus terrae (98.) viuax esse  
debet; illa sub initio, haec in successu hor-  
um motuum.

<sup>b) videtur quod stratum superius</sup>

Fissuras has (*Klüffte*) serierum nihil im-  
plerere potuit, nisi quod per vindationem flu-  
matis marini aut alluviem (58.) versus has  
fissuras prouolutum est; ultra seriem vero  
nihil vindatio prouolui permisit. (78. i.)

a) Hinc fissurae ante plenariam consumma-  
tionem serici repleri debuerunt.

b) Aut noui fluminis et alluviei vindatio ta-  
lem seriem attigisse debet.

c) Tales fissurae repleteae constituunt sic  
dictas venas metallicas. (*Gänge.*)

<sup>a) videtur quod stratum superius</sup>

Nihil igitur fissuras replere potuit, nisi lu-  
tum serici proprium, (102. a/b) aut serici  
subsequentis luttum, aut limus, quarundam  
serierum complementum, (80. 12 ii. a) nec  
non salis marini soboles, heic primum per  
aquam marinam, fissuras penetrantem, specia-  
liter producta, aut quod horum mixtione  
compositum est.

- a) Corpora tali mixtione pronata tantope-  
re a primis suis terris simplicibus differre  
possunt, vt prorsus nouum genus, v. c. mi-  
neras aut sales lapideos minerales consti-  
tuant, corpora ob varias intimius mixtas  
partes aliis grauiora.
- b) Lutum, quod fissuras has primitus re-  
pleuit, aut tam crassum fuit, vt in illis sub-  
stiterit, aut tam tenue, vt quad partem  
aut totum in strata fissa penetrauerit; licet  
saepius ob duritiem et nimiam densitatem  
hoc tenue lutum respuerint.
- c) Nam strata ex luto quoque puro ma-  
rino pronata; licet stratorum subsequen-  
tium pondere magis magisque compressa  
fuerint, vt rimas (39. b.) nonnunquam  
exinde obtinuerint, nonnulla tamen tam  
porosa adhuc permanerunt, vt subtiliori  
salino aut pingui aut ferrugineo liquami-  
ni accessum concederint, et maiorem den-  
situdinem, duritiem, atque, pro diuersa li-  
quaminis penetrantis indeole, transmuta-  
tionem in aliam speciem, quin et aliud ge-  
nus, prope tales fissuras acquisiuerint, nec  
non strata, alias contigua, penetratione  
talis glutinantis liquaminis in continuum  
commune stratum transferint. (48. a)
- d) Hinc videtur fundamentalis series per  
nouorum glutinantium liquaminum pe-  
netrationem esse continuum; licet in locis  
et frustis luci expositis, aequa ac poste-  
riores series, per rectilincorum ductu-

um colorēm et duritiem, diuersa luta et strata sibi successisse comprobet. (98. b. c.)

e) Frequenti constat obseruatione, fissuras repletas aut tinctas, et mineras maxime circa ambitum Thuringiae reperiri, non ita versus interiores regiones (42. a); sic calcario métallicaæ seriei mons vix milliare ab ambitu distans sterilis deprehenditur. Vnde luta mineras exhibentia præ-primis ambitui aut alluviei circa ambitum tribuenda sunt. Motus igitur terrae am- bitum concutiens, prout fissuras aut valles produxit, sic et per puluerem inde com- minutum pro replendis fissuris lutum si- mul produxit, ut argillaceum, limum et liquamina salium mineralium; aut ferru- ginea, fissurarum margines tangentia; si- mul autem subsequentes fluctuationes (73 a) proximae nouae seriei terram anomala- iam umbraceam, limosam, rubram argil- laceam, quin et minerarum quarundum stamina porrigere potuerunt, quo tam fis- surae et loca quassata tinturam quandam, quam noua strata specialem compositio- nem obtinuerunt (35. a); quod per mo- tus alluviei (57 - 59) facilius quam per motus fluminum (56. 57. a) euenire po- tuit.

### S. 108.

Fissuras seriei testaceae non lutum calca- riū, sed limus paucus hinc inde tantum repleuit, ast rarissime sal spathosum, atque cuius-

cuiusdam minerae ne micam quidem inuenies.

a) Series igitur haec, cum iam absoluta fuisset, circa limosum tempus fissa est.

§. 109.

Fissuras arenaceae seriei nil repleuit, nisi definitis in locis limosum quid, absque ullo spathoso sale aut minera; hoc limosum hinc inde cobaltinum quid esse reperi. (42. a)

a) Concussio igitur post absolutam seriem hos montes conquassauit, ante statuminis sequentis aduentum.

§. 110.

Fissuras seriei farinaceae calcariae itidem nullum calcarium lutum, sed limus aliquatenus repleuit, et superficietenus tinxit, ast vix sal spathosum; nullam vero prorsus mineralam repieres; nisi prope ambitum. (107. e)

a) Concussio igitur aeque post absolutam seriem tempore limoso euenit.

§. 111.

Fissuras seriei metallico calcariae non calcarium lutum sed limus ut plurimum replevit, et strata circa fissuras colore suo tinxit, cui sal spathum alcalinum fere ubique accessit (39. d)

a) Concussio igitur aeque absolutis stratis tempore intercalari limoso fissuras produxit.

b) Limus coaeuus his motibus concussoriis, atque per horum motuum causam, his seculis calcariis finitis specialiter operantem,

recens productus, vi tingente magis quam corpore suo crasso strata conquassata penetravit. (107. e)

c) Sal spathum in huius seriei superficie nullibi reperitur, nec stratum ullibi constituit, aut extra fissuras repleuit; ortum igitur esse videtur cum introitu limi in has fissuras.

d) Sal hoc spathum fissuras remotiores, nullo limo tinctas, aequa repleuit, hinc ultius penetravit ac limus eiusque vis tingen-

gens.

e) Minerae quoque in his solum fissuris, tam limo spatho que quam solo spatho repletis, adsunt; limus igitur et sal hic videntur esse causae harum minerarum, in primis autem spathum.

f) Quorsum autem nimium spathi deprehenditur, ibi minor minerarum copia reperitur, ac circa modicum spathum; hinc spathum per se mineras producere non valuit, nec cobalti, nec cupri, nec ferri, alias hic reperiendas.

### §. 112.

Fissuras seriei fissilis albidae tam argilla albida quam limus, utrinque cum spatho quareo et mineris replerunt.

a) Vndationes igitur duae horum montium concussions secutae sunt, vel potius duplices minimum concussions eos concussarunt,

b)

- b) Argillacea vndatio eiusdem fuit generis ac ipsa series; hinc concussio ante absolutam seriem quenisse debet, ut hoc lutum similare fissuras replere potuerit; prior igitur fuit limosa.
- c) Haec vndatio argillacea ultra terminos seriei albidae ad rubram usque, magis versus interiora ambitus procumbentem, extensa fuit, et statuminis metallico arenosi infimum stratum albidum (17. c) inaequale fluctuatione quadam produxit, quae latius sua praecedente alluvie fuit extensa.
- d) Nec limosa vndatio eadem esse potuit, quae metallicae calcariae seriei fissuras replevit, cum hic limus non ultra fines stratorum calcariorum (80. IV) in ipsis montibus extendatur, ubi series albida proxime emergens absque ylo limo apparet; hinc profus alia esse debuit.
- e) Nam haec limosa vndatio post absolutam seriem albidae fissilem cum altera concussione aequa late ac prior (c) ultra terminos seriei albidae transiit, (59. d) et stratum spurium calcario limosum exhibuit, inter praecedens statuminis stratum argillaceum albidum et arenam sparsim latens; ob fragmenta (17. b, 80. XII) haec vndatio vnica procellosa fuit.
- f) Sal spatho-quarzeus (39. d) vtramque vndationem concomitus est; vtraeque etiam fissurae repleteae mineris gaudent, limosae magis cupreis quam ferreis, argil-

Iaceae praeter illas nonnunquam argenti mineris, ut rubra et alba (*roth u. weigolden Erzt.*) praeter mixtas fissuras, quibus galena, hac in regione rario, simul inhaeret, quasque limus, striis tantum inter argillam sparsis, perrepit.

## §. 113.

Fissuras seriei fissilis rubrae nullus limus repleuit, vix argilla albida, ut plurimum nigricans vitriolica reddita, ast quarzum sterile, quod in tenuioribus fissuris frequentius adhuc reperitur.

a) Frequens huius seriei decubitus inuersus (40, 41. a) magis quidem ad fissuras secundum lineam stratorum, quam per strata, est idoneus; ast fissurae satis naturaliter procumbentis seriei non differunt, atque nimiam duritatem sub tempore concussionis, tam frequentiores teneras fissuras, paucisque iusto ampliores, quam consuetam inuersionem, produxisse indicant, ut nec exinde, praeter adstringentem ferrari terram rubram, ad mineras disposita videatur.

b) Quorū statū minis arenosi metallici strata inferiora argillacea albida (17. c) non extensa sunt, ibi nec huius fissurae repletæ inueniuntur, nisi rudi quarzo paucique pigmento ferreo, ipsius seriei prole comminuta.

c) In nonnullis locis quaedam fissurae ampliores quarzo ad cubiti crassitatem refer-

tae

tae deprehenduntur, verum prorsus steriles, nisi drusas Eisenmanno repletas excipias; haec loca serie calcario metallica (b) non tecta reperiuntur et ultra protuberant.

d) Nulla igitur vndatio huius seriei fissuras repleuit, praeter unicam salinam, cum parca eiusdem generis terra rubra, quae rinde tantum quarzum (39, d) producere valuit, ut spes lucri, quam haec terra rubra praeter quarzum nonnullis alchemicis excitauit, per vim naturae heic prorsus inertem, omnino fatua declaretur; hinc natura terram aliis mixtionis simul requirit ad minerarum productionem.

## §. 114.

Fissuras seriei fissilis coeruleae tam lutum nigricans quarzeum (39, d) quam limus frequentius repleuit, et quarzum cum pyrite saepius produxit; nec minus hinc inde, ubi series albida fissilis horum montium fissuras attigit, argilla albida cum spatho quarzeo (112, f) et mineris inuenitur.

- a) Vbi rubra series eos montes solum obtigit, fissurae rubro tinctae vix praeter ferreos pyrites quid continent. (112, a)
- b) Triplex hinc concussio et vndatio hanc seriem deuastauit; prima ante absolutam seriem fissuras luto nigro et quarzo puro aut aeque nigro replens; secunda absoluta serie, tempore seriei albidae; Tertia limosa tempore incerto.

c)

c) Fissuræ limo sunt replete, cupro atque ferro, argillaceæ praeter haec argenteis mineralis, quarzeac nigricantes interdum ferræ aurifera gaudent minera.

S. 115.

Fissuras seriei carbonum vix quid ultra limum paucum et nigrum argillaceum mixtum, pyrite magis quam aliis mineralis foetum, repleuit, cum paucō sale spathofo quarzeo.

S. 116.

Hæ series igitur omnes, tam fissiles, vt rubra, inuerso modo saepius procumbens, et albida atque coerulea pluries concussae, quam tres calcariae et arenacea, euincunt, post absolutam seriem semper motus terræ euenisse, atque bis tantum ante absolutas series. (112. b, 114. b.) Idem valet de statuminibus (102. a)

a) An rubra series ante vel post suam absolutionem fissa fuerit, ob simplicem fissurarum quarzeam repletionem adhuc incertus sum; limum quidem ab argilla rubra abhorrei supra (80, VI.) iam vidi mus; albidae vero subsequentis serici nil intra fissuras hasce reperi, signum esset, eas iam occlusas fuisse aut repletas, cum statuminis metallico arenosi albida strata hanc seriem hinc inde obtexerint. (112 c.) Seriem autem antecedentem (quae heic coerulea esset) sequenti luta porrexisse nondum obseruavi. Heic sufficit, motus terræ hanc seriem concussisse iam induratam,

b)

b) Fundamentalis seriei fissuræ vario modo repleteæ et valles angustiores indicant, ipsum hoc fundamentum a motibus terræ concussum esse: quo vero tempore hoc euenerit, massa fissuras replens indicare posset, cuius rei nullus scriptor certam fecit mentionem. Quaevis enim subsequens latibus series has fissuras replere potuit, si alluvies talis seculi hinc aut illinc tales attigerit fissuras, aut motus terræ proxime luta impura produxerit, quae sequens alluvies ad has fissuras prouulterit (98, a b. c.)

§. 117. *ad hanc p. 117.*

Hic motus terræ (98) semper secuti sunt motum statim maris exterritum, seu circa nouam prodierunt fluminum directionem, (62) tam nondum absolutis, (76. h, 112-b) quam perfecte absolutis seriebus.

Plerosque horum motuum praegressa (80 v.) est limi singularis praecipitatio, alio tempore ne quidem tam copiosa, ut stratum unicum (80 l.) exhibere potuerit, licet hinc inde immixtus reperiatur, et minantes tantum motus terræ aut fluctuationes ex aliis regionibus indigitet.

a) Nuperi terrae motus horrendi non minus terram fluam limosam ex aquis marinis protruserunt, quin et rubram ex penetralibus terrae per fontes et aquas marinias proiecerunt, unde limum et rubram argil-

argillam, series separantes, deducere poteris, ast loci et temporis adhuc incertus.

b) Vapores terrei crassi, terrae motus praecedentes, aquis marinis absorpti, luto marino immixti, eius colorem indolemque transmutare et limum, seu complementum serierum calcariarum, quod statumina, seu motuum terrae prima producta, praegressum est, producere possunt.

c) Potius igitur dicere debuissem, limum tam motus terrae, quam fluminum directiones, praegressum esse; nam statumina in primis sunt effectus motuum terrae, (75, d, 76. g.) quae, cum tanquam bases serierum superiorum ab inferioribus illico recessant, (62 d, e.) hinc sub primo motu terrae, argilla post limum produci atque fluminis noui prima directio incipere; limus autem tam motum hunc terrae quam fluminis directionem praecedere debuit.

d) In arenacea serie limus ante finitam (12, d.) seriem prouenit, et supremum stratum in nonnullis locis magis limus per salem arenaceum lapidefactus, quam arenaceum stratum esse videtur; arenaceam igitur praeccipitationem non impediuit limus, ast calcariam; haec enim ob eius aduentum desiit, atque rarius supremis calcareis stratis immixtus est limus, (10 f.) vnde has series tanquam terra obtegit; illa continuavit, licet quoad faciem granulorum hinc inde mutata, vnde nul-

Jus limus arenaceam seriem obtagit.

(80.)

S. 118.

Ast post tales motus conquassantes, semper sal quidam, alias inter strata non reperiundus, ortum suum primum habuit, pro recentis concussae seriei indole et duritie, plus minus diuersum, et in fissuris vel cauaminibus tantum enatum. (39 d.)

a) Quarzum, spathum, fluorem cum gyipseis et nonnullis tophaceis speciebus, ex genere lapidum per se naturalium reiicio; tales enim dico, qui sola luti condensatione et induratione lapidescunt; qui vero per nouas resolutiones et crystallisationes in lapideam duritiem regenerantur, eos historiae physicae gratia ad sales lapideos repono. III. Linnaeo quidem non adeo assenserunt physici, dum haec corpora in systemate naturae inter sales refert; nihilominus eius sententiae quoad hanc partem accedo; licet quoad classificationem, e. g., sub nitro etc, nullam rationem habeam, cur consentiam.

b) Sic sal in serie testacea calcaria tartaro vitriolato (108) per figuram conuenit, licet parcus et in minoribus tantum stratorum rimis, atque cauaminibus; non autem seriei fissuris reperiatur.

c) In serie arenacea vix salem quendam obseruare licet, (109) nisi cuticulam salinam quandam in fissuris obliquis an-

gu.

gustioribus, nullus crystallinae figurae, hue referre velis, aut salinas quasdam moleculas et cauamina superiorum stratorum impurorum. (12. d.)

d) Series farinacea calcaria vix salem quendam (110.) in fissuris exhibit; circa cauamina vero et stratorum rimas sale, arcani duplicati aemulo, aut alio, squamarum modo splendente, sunt penetrata.

e) Series metallica calcaria eo copiosius spathum alkalinitum (111. c. d.) in fissuris et circas, cum primis in cauaminibus, praebet.

f) Series viridefcens fissilis spathum quarzeum largius continet. (112.)

g) Series fissilis rubra quarzum refractarium porrigit. (113.)

h) Series fissilis coerulea quarzum purum et quarzum spathium suppeditat, quae ad fundamentum usque absque spathio alkalino reperiuntur, nisi in drusis. (114.)

i) Gypsum in strata coaceruatum (11. 15.) hue non refero, cum nullam fissuram nisi strati sibi proxime succumbentis replenit, quod tanquam mollius adhuc lutum salinum, strato rimoso succedens, efficere potuit. (39. f.)

k) Tot foctuum salinorum matrem, salem marinum seu communem, hoc loco desiderabis, et licet ipsi fontes salis communis largius per Thuringiam prorumpentes, testes sint, luta marina nonnunquam copio-

piosius hunc salem secum praecipitem redidisse, tamen adhuc dubii sumus, quibus stratis illud tribuere debeamus: Nihilominus gypsea strata, ob frequentiores scaturigines salinas, aliquam prae se ferunt probabilitatem, simul cum hoc statumine copiosum depositum fuisse salem marinum depuratum seu communem, qui aquis, per fissuras destillantibus, resolutus fontem salinum constituat.

I) Nullibi, quantum scio, rerum naturarium indagatores fontem salinum ad primam prosecuti sunt originem, vt certi pronuntiare possimus, quibus stratis haec virtus generi humano utilissima competit; nec quendam strata, eius finis gratia, examini subiecisse, memini: hinc ipsam salis communis e terra firma saepius profluentis originem tenebris inuolutam profiteri cum reliquo hominum genere non erubesco. Minimum fissuras non replet, licet illum omnium salium maxime eas repletum fuisse credatur.

### §. 120.

Hinc causa, quae sales hos progenuit, non eadem esse potuit, a qua tam luta terrea quam salina, statuminum et serierum montanarum strata constituentia, ortum duxerunt; inter omnes enim series ne minimum spatheum alcalinum aut quarzeum aut quarzospatheum stratum, ne quidem inter arenam et gypsum

K de-

deprehenditur, etiam si salinae indoli inter omnia naturalia marina strata proxime accedant.

a) Non nullis quidem arena videtur esse quarzum minutum productum; verum inter arenam nil quarzi praeter pauca fragmenta ex prioribus seriebus deprehenditur: nec inter series, quarzum continentes, arenam reperies: hinc modus originis diuersus, ratio situs et loci diuersa, nec non immensa moles et extensio arenaceae seriei euincta, arenam ex prorsus alia causa ortum suum ducere, quam quarzum, et arenam esse prolem marinorum aquarum per se diuerse transmutatarum; quarzum autem productum luti marini (75, e) esse, quatenus per motus terrae et inde pendentes alterationes tam seriei, cui inhaeret, quam ipsi luto marino iam salino, noua fuit addita immixtio, huic singulari seriei loco tantum propria. Silex vero ad seriem calcariam pertinet ut compositum (75, f) salinam indolem abhorrens.

### S. 121.

Vltra marinum igitur salem eiusque luta consueta, aliena immixtio et violenta salis lutique marini alteratio horum salium mineralium causa esse debuit.

a) Non vero communis haec alteratio esse potuit, cum strata per se, ex communi aquarum marinorum ambitu deposita, tale

le quid non contineant; nam strata gypsea  
aeque communi alteratione producta (19  
i) excipio. Singularis autem immixtio  
heic esse debuit, nempe circa ipsas fissu-  
ras, vbi hi sales reperiuntur; hinc magis  
haec immixtio tali modo assumenda est,  
quo lутum salinum (75. e) in fissuras pe-  
netrauit, et illinc singularem mutationem  
cum corpore alieno alterante subiit.

## §. 122.

Inter motus autem terrae fissurae (98.  
116) et immixtiones alienae (118); post  
hos motus, fissurarum repletiones (106-  
115) et lutorum marinorum per has fissuras  
ruentium alterationes, (119) euenerunt; ita ut  
omnium serierum iam denotata conditio suf-  
ficienter arguat, dictos sales minerales hoc  
solum modo enatos esse.

a) Immixtiones alienae constant e vaporum  
sulphureorum acidis et pinguibus particu-  
lis (118) dein terris variis, tam per hos  
vapores resolutis; quam motuum terrae  
attritu de ipsis fissurae stratis detritis,  
(103. a. b) quibuscum sal marinus hu-  
iusque lutum, per actionem et reactionem  
intra fissuras mixtum, in aliam prorsus in-  
dolem transit. (107. a)

b) Alterationes autem sunt variae pro varia  
fissorum stratorum seu fissurarum et replen-  
tis luti indole (108-115, 119). Argillaceae  
coeruleae fissurae, ob terram pinguem ab  
aliis distinctae, per argillaceam minus pin-

guem repletionem : quarzum, per limum simul ingressum : spatheum quarzeum, ex luto salino a motibus terrae iam (a.) alterato, ediderunt. Argillaceae fissurae, terra rubra coloratae, per aequem macram coloratam repletionem, quarzum refractarium ex luto salino per immixtionem (a) deprauato progenuerunt. Argillaceae albidae fissurae, atque nec tam pingui, nec colorata macra terra conspurcatae, per aequalē argillaceam repletionem, quarzum spatheum : si limus simul immixtus fuerit, magis adhuc spatheum exhibuerunt. Calcariae fissurae per solam limosam repletionem solum spathum alcalinum praebuerunt.

## §. 123.

Ex praemissis (42) patet, mineras cum primis vel in fissuris repletis seu venis metallicis (*in Gängen*) vel circa fissuras tintas (*Klüffte die milde seyn*) reperiri, nec extra haec loca, si exceperis strata scissilia seriei metallico calcariae, (16. b) hinc inde minera cupri secundum lineam stratorum prae-  
gnantia, et grumulos rarius dispersos, aliunde productos. (107. e)

## §. 124.

Mare igitur per se et propria puriora luta nil mineralis producere potuit ; ergo nec in fissuris per se tale quid efficere potuisset.

## §. 125.

## §. 125.

Serierum igitur concussions ad fissuras usque. (58) harumque repletiones (106. 107) per limum, argillam, salspatum, fluorem, quarzum et alia, acido minerali foeta, necessariae fuerunt ad mineralium originem, ergo et motus terrae. (122.)

## §. 126.

Hae autem fissurae absque fluminum et alluviei debita vndatione non essent (106 - 107) replete; alluviei et fluminum igitur motus determinatus (56, 58) necessarius fuit.

## §. 127.

Strata scissilia seriei metallico calcariae (*Schieferfläze*) vt strata mineras, (16. 42. 123) contra naturam omnium aliorum stratorum per mare procreatorum, continent.

## §. 128.

Haec autem strata scissilia, aequa contra naturam reliquorum stratorum, per heterogeneam immixtionem plantarum et animalium ad terram (16. b) firmam pertinentium, indolem calcariam aliquatenus amiserunt.

## §. 129.

Si igitur strata absque aliena immixtione mineras non continent, (124) hac immixtione autem alterata strata, vt strata mineras continent, haec immixtio (128) vt causa prolixa minerarum assumenda est.

## §. 130.

Horum autem stratorum maxima differen-  
tia consistit in pinguiori nigredine, hetero-  
geneae vegetabilium et animalium immix-  
tioni (128) tribuenda.

a) Nam strata puriora ex sale marino pro-  
ducta tali carent pinguedine aequè ac mi-  
neris; pingues autem particulae ignis vi-  
demus ex his stratis purioribus demon-  
stranda, ob minus quantum et arctum mix-  
tionis nexum hic referri nequeunt.

b) Calcarium quidem lutum in nonnullis  
locis cum his animalibus (128) eorum  
pinguem simul mucum, cui acidum ani-  
male tam arcte connexum est, ut po-  
tius vinosum quam acidum constituat, sibi  
intimius eum absorbendo coniunxit; ma-  
xima autem et ubiuis inhaerens pars hu-  
ius pinguis nigredinis ex humo nigra, in-  
tra lutum calcarium horum stratorum  
mixta, constat. Humus vero talis consi-  
tit in terra sic dicta putrefacta aquarum  
stagnantium, quae semper nigrescit et  
praeter partes pingues aquarum acidum  
copiosum, tam acido salis quam vitrioli  
analogum, largius continet.

c) Sic principiorum metallicorum nullum  
defuit in hoc luto heterogeneo, et calore  
tantum, harum particularum actionem &  
reactionem excitante, opus fuit, quem  
etiam talis mixtura propriarum particula-  
rum, ad fermentantem et putrescentem

mo.

motum proclivium, attritu facile in suo sinu ipsa concipere, et calori fissurarum, per motus terrae et vapores calidos excitato, substituere, ac omnes mineras, tali mixturae possibles, producere potuit.

### §. 131.

Hoc igitur pingue salinum heterogeneum (130) pro causa assumendum est, cur haec strata calcaria praeter omnium aliorum dispositionem, ut strata, mineras contineant.

### §. 132.

Matrix vberrima et communior mineralium est sulphur, quod sal pingue metallicum dicere posses, ob partem salinam predominantem: altera satis etiam frequens mineralium matrix est semimetallicus sal arsenici, extra fissuras rarius hoc sulphure reperiundus.

a) Sulphuris compositio, quam nostro Stahlio debentus, edocet pingue et acidum vitriolicum hanc matricem constituere, licet animo dubio matricem dicam, cum tam sulphur et arsenicum (licet eis magna vis in metalla inhaereat) quam salia mineralia (119. a) fissuris simul inhaerentia, corpora reiectanea videantur; illa metallorum ipsorum partes reiculae, aut pinguiores, ut sulphur, aut magis saline, ut arsenicum; haec lutorum intra fissuras primum crystallantes sales, tanquam refractariae ex metallico connubio receden-

tes terrae, ad salinam mineralem indolem  
hoc actu dispositae.

b) Arsenici autem compositio non ita ante  
oculos poni potest, nam licet illustris Eller  
per arsenicum et hydrargyrum aemulatus  
sit mercurium corrosuum, et opinionem,  
ex praecedentibus deducendam, (130. b)  
acidum salis ad metallicam genituram sae-  
pius concurrere, magis vero similem red-  
diderit, ad prima tamen principia non  
reduxit hoc corpus aemulum. Nihilomi-  
nis variae fissurarum et minerarum con-  
tentarum conditiones, cum primis fissurae  
calcario metallicae seriei, mineris arse-  
nicalibus cobaltinijs (42. a, 111. f) turgen-  
tes, indigitant, alcalinam metallicam ter-  
ram, acido vitriolico solutam, per acidum  
salis intimius resolutam, arsenicum consti-  
tuere, et saepius alias metallicas iam per-  
fectas terras obducere posse seu in minera-  
le mutare.

c) Hinc ad omnes mineras, quibus sulphur  
inest, praeter terram, acido vitriolico ob-  
sequiosam, pingue quoddam fuit necessa-  
rium: quibus autem arsenicum faciem  
minerae dedit, praeter eiusmodi terram  
et acidum vitriolicum, opus fuit acido  
salis. (77. e)

### §. 133.

Omnes series puriores atque strata purio-  
ra ex aquis marinis secreta, nec non ipse  
sal purus marinus (124) cuincunt, nil  
piq-

pinguis et acidi vitriolici exinde ad mineralium originem desumi potuisse; nam tale pingue et acidum, dum alios nexus subire debet, non tam arcte mixto suo inhaerere debet, (130. a) ac nonnullis marinis innatum est productis.

a) Alienā igitur et heterogenea immixtione opus fuit, vt tam acidum minerale quam pingue intra aquas marinas produci, et ad mineras appropriari potuerit, vt in stratis scissilibus euenit. (130. b. c)

b) Cum autem fissurae potissimum hoc gaudent heterogeneo pingui et acido, hinc primum disquiramus, vnde tanti heterogenei copia desumi, dein quo modo ad has fissuras deduci potuerit. Fluida vero sunt naturae optima et vnica vehicula ac communia promptuaria, hinc cum ipsum mare tale quid non suppeditauerit, aliud adeamus.

### S. 134.

Aer atmosphaericus est solum et vniuersale fluidum stamina prima pinguis, seu quod idem erit, particulas per certum vehementem motum radiantibus, continens; si aetherem dicere velis, non repugnabo.

a) Stamina haec facilius concedes, quam ipsum pingue, quod semper compositum inuenimus; nam omne corpus pingue, dum eius plenam resolutionem suscipimus, in lucidas particulas resoluitur, quas nec ipsas stamina dicrem, dum alias

aeque subtile ex composito suo secum prouehere valent; proxime tamen his lucidis particulis stamina pinguis adhaerere, quilibet concedet; breuitatis autem gratia terminum, pinguis, ut plurimum retineamus.

b) Hic sufficit aërem per experientias, eius lucidas particulas comprobantes, fluidum esse, his staminibus maxime praegnans, ea que cuicunque mixturae, ad quam accedit, approprians, licet incertissimus sim, quo modo haec stamina aliis terris adhaereant et tam varias corporum mixtiones subeant, ac ne quidem pinguis iam determinati seu phlogisti effectus satis adhuc innotuerint; nam prorsus alia species corporis prodire debet, cum terrae cuidam stamen pinguis et stamen acidi, quam si phlogiston et acidum vitriolicum eidem terrae simul adhaereat, vtrumque iam determinatum.

c) Hinc terra pinguis propter varia intimius admixta principia tam varia fit, quam aliud terrae genus, quod, praeter vegetabilia et animalia, plurima terrestria corpora comprobant, et, per idem stamen pingue, sali lutoque marino sub varia conditione admixtum, variae species quin genera corporum oriri potuerunt: terrae tinctae, sales phosphorescentes, sulphura, varia lutorum glutina, praeter separaciones pingui peragendas.

d)

d) Sic pingue, acido vitriolico se se annexens, sulphur quidem procreat; simul autem, in connubio calcario limoso, terram, per acidi stamina ad metallicam indolem leuius dispositam, ab acido hoc separat et salinam adhuc praecipitat; unde spathum alcalinum in serie calcario metallica oriri potuit, vbi spatho tali sulphureae et arsenicales minerae immixtae sunt.

(iii)

e) Eodem modo hoc pingue terram metallicam, acido salis marini aequa obsequiosam, prius autem acido vitriolico solutam, per suum ad acidum vitrioli annexum, ab hoc adeo liberam reddere potest, ut acidum salis hanc terram metallicam, cum parco vitriolico et pingui intimius mixtam, simul soluere et salem volatilem metallicum e. g. arsenicum exhibere possit. (132. b)

f) Vnde sal mineralis alcalinus, sulphurea et arsenicalis minera (d. e) simul cum terra rudi, cui nec acidum nec pingue sufficit, eandem venam, iam inertia, ex parte possunt; cum ex natalibus suis de profunda mediocri calore ad reactionem inter se reduci queant.

g) Maxime autem pingue in series ar-  
gillaceis, pinguedinis per se amicis, co-  
plures resolutiones, combinationes atque  
praecipitationes, nullibi praeterea tam fa-  
cile reperiendas, producere potuit, in-

pri-

primis si terra alcalina simul argillaceae immixta fuerit, vt prope spathum quarzeum nonnunquam obseruatur; nec non inter limosas repletiones. (112. 114.)

h) Iuuat hoc pingue, terram ab aquae et acidi connubio separando, salium mineralium separationem, vt spiritus vini rectificatus contrario modo per insorbtionem aquae salium chemicorum praecipitationem accelerat.

i) Pingui perinde ad minerarum et salium mineralium productionem tantum virium ac ipsi acido vitriolico tribui debet, nec acidum vitriolicum tale forsan esset, nisi prius per vim pinguis terrae ad plurimarum terrarum consortium idoneum esset redditum, cuius tamen praesumptionis nullum simplex habeo argumentum: sufficit, absque aethere seu stamine pinguis vix ullam corpus persistere, nec ullam corporis vim vivam esse.

k) Modus autem, quo aér cum suis pinguis staminibus tam mare lutumque quam fissuras intrauerit, prius est detegendus, quam eorum effectus mineralis seu appropriatio ad terram mineralalem sati perspici possit, nec minus eorum sodales seu acidi stamina prius sunt inquirenda.

### §. 135.

Aer atmosphaericus est solum vniuersale fluidum acidi mineralis stamina prima continens.

- a) Stamina dico; adhuc enim ipsum hoc acidum in aëre detegi non potuit, licet salis alcalici magna pars per aërem tandem in tartarum vitriolatum transeat; semper enim adhuc dubium remanet, annon, hoc tantum connubio, acidum tale prodierit, cum per aliam terram in acidum nitrosum, in vegetabile, quin in ipsum salem communem; vel cum pingui in varias resinas, gummata, variosque succos transiisset. Nitrum saltem per eundem aërem producnotum est.
- b) Modus detegendus esset, acidum hoc, absque ullo corpore, versus acida reagentem, ex aëre colligendi; omnia enim nostra acida ex mixtionibus terreis tantum separantur, et per aquam refraenata continentur. Summa vero diligentia sunt occludenda, cum parcior aquae pars fortibus acidis refraenandis non sufficiat, ne per aërem in stamina sua redeant; quod satis arguit, per terram figentem acidum quidem oriri, pro varia vero eius indoce varium enasci; atque primum aëri inhærens non nisi stamen acidorum dici posse.
- c) Stamina haec largissime aëris fluido inhaerere, omnis fere corporum, in aëre et per aërem quam maxime varie pronascuntur, nec non meteororum va*ta* generatio satis comprobatur: tam versipelles enim particulae, ad omnes mixtiones idoneae, non nisi stamina dici debent, cum acida nostra

nostra ad speciales tantum combinationes, per suum priorem determinantem terrae nexum, adhiberi possint. Quin sempiterna corporum per aërem nutritorum metamorphosis aliud credere vetat.

d) Quorsum igitur aér ruit et cohaesionis occasionem nascitur, ibi semper pars staminum in acidum quoddam speciale transibit, tam ob singularem terram absorbentem, quam ob staminum connexas particulas, seu specialem aëris mixtionem et motum internum, qui omnium fluidorum particulas aequa ad separationem, ac nouam combinationem disponit, et pro primaria transmutationum causa haberidet. Cum igitur haec stamina terram, acido salis prius attenuatam, lutosa præcipitatione iam specialiter mixtam (175. e) sub speciali huc requisita aëris mixtione motuque interno attingunt, acidum minerale demum constituunt; mediante vero pinguis simultaneo nexu, (134. c.d.) sulphur minerale, quod saepissime et fere vnicie in fissuris primarum serierum euenisse vidimus.

e) Hinc aëris introitum et exitum per has fissuras inuestigari necesse est, et cum litorum repletum indoles iam constet, (108 - 115.) vt aëris illius mixtionem et motum internum simul explicemus, opus erit, quod absque historia motuum terrae physica (98. 117. 118.) vix dilucidari poterit.

## §. 136.

Aeris vero vis est sola causa motuum terrae externa, quod horum motuum effectus praecedentes, concomitantes atque subsequentes euincunt; mare vero suppeditat internam, ut serierum nostrarum historia per motuum testimonia comprobat: aëris autem externam primum videamus:

a) Nuperi motus, imo Nouembris 1755 nostram globi terrauei semissim terrentes, nobis sint exemplo, et obseruationes Lic. Fernando Lopez Amezuae, quarum chrestomathiam nouellae ratisbonenses in supplementis litterariis anni 1759 nobiscum communicarunt, tanquam filo nos ducant ad externam causam cognoscendam.

b) Hic autor refert, motus hos primum nebulas et nubes insoliti coloris, nec non alia meteora crassâ, lucem solis et lunae variis coloribus obumbrantia, nonnunquam per se fulminantia, nec non fontium exinanitiones praecessisse; sub ipso autem motu nebulas adhuc crassiores evasisse, aquas fontium rediisse, et vehementiores largioresque, nonnullas foetidas, alias turbas prorupisse, et quasdam fissuras halitus crassos euementes se aperuisse; vehementissimum dein maris motum ebullientem motibus terrae successisse,

c) Hos vapores fuisse sulphureos, communis quidem suadet sententia; ast huius seculi

culi progressus in theoria lucis et colorum, nec non phosphorescentia et electrica corpora, docuerunt, absque minimo sulphuris punto aequa tales vapores lucidos, sulphur olentes, fulminantesque oriri.

d) Nec flamma sulphurea, per Lemerii experimentum ex ferro et sulphure prodiens, aut flamma per calcem viuam producta, aliaque per chemicos naturae pro regulâ praescripta tentamina, heic sufficiunt; cum nullibi per omnes fodinas, licet fam minerae sulphureae quam carbones fossiles et terrae aluminosae, nec non lapides calcarii, tam cum aliis mixti, quam aquis subterraneis simul irrigati, reperiantur, vllus talis effectus apparuerit, nisi cum corpora haec, ex natalibus suis locis deponita, aëri libero exposita sint: tunc pyrites dehiscit, aluminosa terra inflammatur, calx margacea dilabitur; in natalibus vero suis ne quidem per ignem et aquam hos effectus, a chemicis obseruatos, experieris. Vapores igitur, hos motus praecedentes, nec sulphureos dicere nec ex penetralibus terrae deducere poteris.

e) Potius exempla vaporum siccorum, meteororum lucidorum, impetusque fulminum vehementis (quem Amezua aequa singularem ac reliqua fuisse refert) ex nostra regione desumendo, per hos naturae effectus ad illos vehementiores continuos, magis actiuos, concludere licebit.

Vapores nempe sicci aestuosi (*Höbrauch*), per aestatem, vulturno flante, circa montium inferiorem et medium partem vagantes, pro sulphureis assumi nequeunt, quamvis eorum colorem; cum eos ex alto versus vacuum coelum perspicere licuerit, vaporis cuiusdam sulphureo atque nitroso ruffo, pluries conuenire viderim, et tantam meteora lucida, hoc tempore magis solita, quam fulminum pabulum, nubibus tonitruantibus per obseruationes exhibuerint: hinc nec vapores crassos, motum terrae praecedentes pro sulphureis assūmere licet, nisi genus summum subintel ligas.

f) Accedit, huius temporis ventum, Vulturnum, singulari sua vi nebulas et nubes aquosas semper eleuare, resoluere, dissipare, solis igitur vim in terrae superficiem maxime adangere, et inter omnes ventos maxime hydrargyrum versus superiora Barometri pressu suo protrudere, quam vim, barometricam, dicere licet. Maxima vero pars fontium oritur per inhalationem halitum aquosorum, dum per fissuras stratorum et serierum guttatum praecipitati colliguntur, quibus si atmosphaera per vulturnum orbata sit, fontes sensim exinaniantur.

g) Nunc atmosphaerae tribus ante motus terrae aëris statum, huic nostrae regionis exemplo similem, modo actiuiorem

atque diurniore causam simul assumas. Aeris igitur pingues, salinae, aliaeque terreae indolis particulae, abactis aquosis, in eodem spatio relative augentur, vi solis iam efficaciore successive nova additur harum particularum cohors, ut subinde nebulas et nubes illas crassas absque minimo vere sulphureo atomo constituere, variaque meteora alias non visa, nec non, si tandem nubes aquosa, hos siccus vapores resoluens et insorbens, accesserit, grauiora tonitrua producere possint.

h) Iam addas, impenetrabilem terrae superficiem magis exhalare vapores; penetrabiles autem terrae fissuras hos vapores potius inhalare; tunc inhalationi horum aethereo salino terreorum vaporum, (e.g.) ad effectus lucis et fulminum maxime dispositorum, nectas barometricam vim (f) aëris vulturno exsiccati, et ad infima loca fissurarum hic aér penetrabit siccus, densus; intra fissuras hī vapores compressione magis adhuc condensantur, in locis inferioribus accessu fluidi absorbentis resoluentis, vtraque simul incalescunt, fluidum hinc vim terras resoluentem obtinet; vaporum autem marinorum in infernis contingente collisione, celerior absorbtio et resolutio dat speciem fulminis, concussions et motum terrae, imprimit per illam seriem, in cuius fissuris or-

tus est, sensibilem, atque secundum vim per corpus solidum propagati motus, per omnem continuam seriem maxime trebendum; per impositas series autem tantum vacillantem.

i) Leniores terrae motus, (77. i) quo- cunque fere anno annotati, huic facili cau- sae apprime conueniunt; grauioribus gra- uiores sunt causae; nam aëris seu huius externae causae modus operandi solus non sufficit, nisi prope littora per causam internam ex mari (h) deriuandam adiu- vetur.

k) Ex dictis satis apparebit, pinguis salis- que aërei stamina, (34. 135) per hos vapores russos (e, 118. b) colorantes condensata, intra terræ fissuras per com- pressionem arctius combinata, tandem flui- di cuiusdam auxilio terram illam, stamina in pingue aut acidum minerale determi- nantem, resoluisse, sibique appropriasse, ut, inter motus terræ hinc inde iterum protrusa, nouam mixti mineralis, atque sulphur olentis, faciem demum ostendere potuerint.

### §. 137.

Mare vero ipsum primariam et internam causam motum terræ continet, licet aëris mo- tus marinos non parum adiuuet; hinc possi- ta motuum externa causa, seu deductis aëris motibus, eo facilius interna cognoscetur. Recorderis autem, magis de motibus terræ,

seriem nouam integrum intra marinæ aquas  
sidentibus, et priorum serierum fissuras ad  
mineras disponentibus, nobis sermonem es-  
se, quam de motibus terræ firmae, quibus  
aër per internam causam prope littora ad-  
iutus (126. h. i.) solus sufficit. Videamus  
igitur primum, quae hanc causam excitent  
seu praecedant, et quae concomitentur, seu  
modos operandi; dein eius effectus, seu quae  
sequuntur.

a) Nouimus per historiam motuum ter-  
rae hucusque annotatam: omnes vniuer-  
saliores terræ motus semper adhuc pro-  
pe oras marinæ, aut sub ipso mari, ini-  
tium habuisse, et dehinc ad terram firmam  
propagatos fuisse; nec vñquam tales in  
terra firma contigisse, nisi speciales, pro-  
pe montes igniuuos, suo tamen mari  
propiores; licet in terra firma materia,  
incendiorum subterraneorum capax; hinc  
inde sat copiose disseminata sit, quin et  
nonnunquam incendiis obnoxia fuerit,  
absque motu terræ. Celeberr. autem  
Moro suis observationibus, dum ex mo-  
tibus terræ ortum insularum ac montium  
probare vellet, magis hanc quam suam  
causam comprobauit, nam per nuperos  
vehementissimos terræ motus ne vllus  
quidem mons, quantum scimus, ex mari  
prorupit.

b) Mire igitur solum et aër causa sunt  
motuum terræ (98. b.); qui vero  
ma-

mare agat, ex recenti mari vix dignoscit poterit; ex veteri autem, cuius operandi modum ex operato dijudicare possumus, per montes nostros plurā concludere licet, cum mare pristinum mari recenti quoad generalia congruere concendum sit. (43, a)

c) Motus fluminum marinorum regularis, et per seculum quoddam (63) secundum easdem lineas continuus, pendet a fundo maris, eiusque inaequalitatibus, tanquam resistentiis et propensionibus; has resistentias praestiterunt series montanae ab ipso mari in prioribus seculis exstructae; propensiones autem dederunt intercapedines. (56)

d) Quatenus autem per haec flumina successu temporis series montium, quales nostri Thuringiaci iam sunt, per aquas marinias exstructa est, talis flumen motus magis magisque sibi ipsi parit impedimenta, seu nouas resistentias et propensiones prioribus aduersas. Hinc tandem motus hi, per seculum quoddam secundum has lineas continuati, per nouos aduersos iam satis altos montes priorem propensionem amittunt. (63) Flumina igitur marina magis magisque sponuntur, ut lenior tantum flumen motus perduret, et generalis malacia aquis marinis imperet.

e) Nam flumen motus est profundus internus, ab externa superficiaria maris un-

dulatione prorsus diuersus: (56. e) hinc quatenus haec superficies per internam causam et fluminum motus commouetur, eatenus pro ratione, ac flumina lentescunt, haec superficiaria vndulatio remittit; quatenus autem ab externis causis commouetur, idem superficie motus perdurare potest.

f) Haec vndulatio intus excitata est causa praecipua interna euaporationis marinae, et vices caloris, aqueas particulas commoventis, supplet. Maximam enim partem vaporum aqueorum atmosphaera obtinet per mare, eiusque in primis, intus excitatas, vndulationes; quorum copiam per immensas fluuiorum aquas, mare intrantes, et hoc vaporum quantum quotidie restituentes, censere licet.

g) Marinarum igitur aquarum euaporationes ab hac interna fluminum excitatione dependentes, sensim etiam lentescunt, et aeris motu solisque radiis solum euapratio succedit, cuius autem multo minor est copia ac aer ad suam temperiem requirit. Aer hinc successive aqueis particulis orbatur, magis siccus, densus, terreisque particulis magis refertus, grauior fit, ad meteora procliuis. Talis aer habet vim barometricam, (136. f) tam versus reliquum aerem, vt vapores aqueos alias regionis resoluat, absorbeat, tanquam leviores eleuet, et aerem humidum exsiccat, quam versus marinam superficiem,

et

terrae nostrae rotationi magis resistens aduerso mouetur modo, atque vulturnum ab oriente flantem siccum constituit, cum humidus leuior hanc rotationem magis sequatur.

h) Hic aëris tam ob nouam mixtionis indolem (135. d) quam barometricam vim plurimo modo in aquas marinas efficax erit: superficies enim marina huic aëri ubique est penetrabilis (118. b), hinc vis mixtionis prior erit in actu, quam vis barometrica. Talis vero mixtus aer est fluidum omni genere particularum terreas ad vapores dispositarum praegnans, staminibus pinguibus salinis aliisque vix determinandis actuum; et idei tanquam fluidum leuius mari innatans, aquas facile penetrans, quoad partem luto marino adhaerebit, aut aquam marinam ad nouas praecipitationes incitabit. Maris igitur constitutio interna (71. a), simulac haec aëris singularis immixtio incepit, non eadem permanere potest, atque secundum hanc nouam causam lutum transmutari, et noua constitutio ad tempus oriri debet.

i) Superficies autem marina est multo maior terra continente, hinc vis barometrica (g) maiori vi agit in marinam superficiem facile commobilem, ac terream, acti-  
viorque eam premet; dum autem mare ob fluminum lentorem (e) huius aëris pressioni non satis resistit, nouis tandem

harum vacillantium aquarum motus euenire debet; et quidem magis secundum aëris pressionem et praesentem fundi præsensionem, seu versus nouae seriei intercapedines, quo nouae seriei montes simul nouam resistentiam aquis commotis præbent, et fluminis quendam motum de novo excitant, atque nouam directionem designant. (62.)

k) Nunc initia sumit noua flumen directio et recentis seriei; ob remoram (62 f. g.) nouam a priore directionis linea et serie recedentis, nouum statumen in locis quietae vndationis incipit: restituto vero flumen motu, solitae maris evaporationes redeunt, effectusque a vi aëris barometrica sensim desinunt, nec ante seculum absolutum tales redeunt, nisi cum aer per leniorem mixtionem (g. h.) et minorem vim barometricam, (g.) a vi soili aliisque externis causis productam, per successum seculi nonnunquam talia leniter tantum producit, (77. i, 135. i)

II. a) Iam sequuntur modi operationis, tam per aëris siccii immixtionem, (h. l.) quam eiusdem aeris humescientis (k. l.) penetrationem, dispositi; illi seculum finientes, hi sub novo demum flumine prodeentes; quorum exempla haec pristini maris historia nobis suppeditat.

b) Edocuerunt nos historiae nostrae documenta, (80. 118.) circa cuiuscunque seriei

riej finem limum pronatum esse et depositionem terrae, seriem constituentis, limo prodeunte desisse, sola arena excepta. Constitutio igitur, quaecunque interna, tam calcaria quam argillacea, protinus alterata fuit; arenacea vero successive, et causa limum producens, praecedentem constitutionem, terras dictas constituentes (26. a, 53. a) ex aquis marinis separantem, ut plurimum subito, sub unico tantum arenaceo secuto lente, annihilauit.

c) Hanc minus diuturnam limi causam fluminum mutatio (80. IV. V.) subsecuta est, qua vicissim limus illico desiit, atque secundum insima statuminum strata, ut plurimum argilla rediit, (80. VI.) excepto arenoso metallico statumine, vbi post limum arena (17. b), tanquam primus pristini maris et nostrae regionis arenaeus foetus, apparuit. Haec prima argillacea statuminum strata semper margacea viridescentia fuerunt; postea demum argilla rubra successit; (79. VIII. b) non continuo vero hae species argillaceae ex marinis aquis descenderunt, sed alia varia luta intercesserunt, bis gypsea ante calcarias series, praeter alia spuria; ante seriem vero arenaceam nec illa spuria nec gypsea: inter fissiles argillaceas series limo quidem aequa successit argilla; nullum vero alienum lutum intercessit; hinc series noua illico incepit, nec statumen reperimus.

d) Caeterum post hanc argillaceatri statu-  
minis alternationem, sub noui fluminis  
auspicio productam, demum seriei con-  
stans terrae depositio successit, bis calca-  
ria, semel arenacea; inter reliquas series  
deficit haec alternatio, atque series calca-  
rio metallica prorsus anomalo modo ex-  
structa est, nam post limum et arenam il-  
lico incepit, absque villa argillacea inter-  
positione.

e) Limosa igitur causa dici meretur prin-  
ceps causā, tam seriei finiturae, quam mu-  
tationis fluminis, et secundaria causa ar-  
gillaceae restiratae depositionis. Nam  
post calcaria secula hunc limum prodro-  
mum denuo secuta est argilla, quae in  
prioribus seculis, aequē viridescens, (c,  
18) putrefacto pingui facile nigrescens,  
(21) praegressas series fissiles binas con-  
stituerat, nec non rubra, quae seriem ru-  
bram (19) prius produxerat.

f) Monuimus autem (75. e) calcariam  
constitutionem aquis marinis esse genera-  
lem sempiternam; argillaceam et arena-  
ceam (76. b) iam specialem ex priori de-  
ductam; rubro vero tinctae argillae (76.  
g) determinationem specialissimam; ast  
limus, praeter hanc argillam, altera est  
communis terra tincta, nam reliquae ter-  
ræ coloratae aut strato aut serici cuidam  
in speciali tantum loco competunt (107.  
e) hinc aequē per singularem determina-  
tionem

tionem ex sempiterna terra calcaria or-  
tum deduxisse debet; singularis autem ac-  
cedit huius determinationis conditio, vt  
nempe inter luta maris propria non re-  
ferri possit; (80. I II. III.) eius igitur  
origo peregrinae debetur causae.

g) Rubrae argillae determinatio, licet per  
ignem aut acidum salis (79. VIII. a)  
(vtrumque eius modi terrae pinguis re-  
soluens et approprians,) fiat; non tamen  
peregrina dici potest, nam, ob strata, quin  
et seriem ex tali exstructam, (19. e. II.)  
mari competit; limi vero, ceu terrae tin-  
etae, determinatio, eius pinguis terrae re-  
solutio et appropriatio ad terram calca-  
riam generalem, nec per ignem nec aci-  
dum salis fieri potuit, sed potius per pin-  
guis et acidi mineralis stamina (118. b)  
euenire debuit, quibus haec limosa inter  
calcariam et argillaceam media terra pro-  
diit, quod flauedo in primis indicat.

h) Talis appropriatio absque fluido com-  
muni, haec stamina aërea marinis aquis  
distribuente, et sic intimo modo immi-  
scente, fieri non potuit; cum vero limi  
causa marinis aquis peregrina (f. II.) sit,  
hoc fluidum aut ipsum mari peregrinum  
esse, aut hanc causam sibimet aequa pere-  
grinam continere debuit; praeterea tem-  
pus, seu lustrum limosum, dum fluminum  
mutationes praecessit, quietum adhuc fuit.  
(80. V.) Hoc igitur fluidum, mare in-  
tus

tus non inquietum reddens, cum aquis marinis commiscibile, particulis tamen peregrinis tingentibus, pinguis nempe et mineralis acidi staminibus (g. II.) foetum, marino luto et sali (§ 3. a) hanc tinturam communicare potuit.

i) Aer vero solus est tale fluidum communne peregrinum, particulis tingentibus (134. 135. e) foetum, mari continuo ut fluidum leuius innatans eiusque aquas facile penetrans; (h. I.) limus igitur sub generalis malaciae (d. I.) lustro ab aere sicco denso, seu colorante, per huius vim barometricam et maris vim absorbendi, cum aquis et terra illarum mixto, productus est. Verum non nisi circa secula finitura limus apparuit; hinc aërem colorantem, per vim barometricam actuum, intra ultimum seculi lustrum mare intrasse patet, cui nouum flumen lutumque novum argilaceum successit. (c. d. II.)

### §. 138.

Tandem ad internae externaeque causae concursum peruenimus, quo effectus, motum terrae, quem singula causa alterius auxilio excitare valet, subsequentes, et cum novo flumine incipientes, se clarius perspiciendos praebent.

a) Per hunc nouum fluminum motum (137 II. c. d) pars seriei finitae, quae prius a latere fluminis, seu sub vndationis loco quieto, posita erat, sub ipsum flumen transponi-

ponitur; (137. I. i) et pars fluminis prius pressa, iam quieta, fruitur noui fluminis vndatione. Cum vero flumina, per resistentias (56. a) huius seculi producta, quacunque noua directione ab iis resistentiis (quae primum in ambitu erant, et successiue ab ambitu remotae exstruebantur) semper recederent, (62) hinc etiam nouum flumen semper prope seriei finitiae altiora, seu magis resistentia, loci montes nempe, recentem inchoauit motum, et prope priores valles noua incepit lateralis vndatio.

b) Dein nouimus, corpus graue per motum vim nouam obtinere; hinc moles aquarum, flumen constituentium, pro ratione motus vim acquiret multiplicatam; fortius igitur comprimit suum fundum, quam moles aequalis, ast quieta, seu in locis vndationis lateralis posita. Hinc altiora finitiae seriei loca per noui fluminis vim multiplicatam in primis deorsum pre- muntur; quatenus igitur series finita non dum sic indurata est, quin pressui cedere possit, inferius versus latera cedet, et infra findi incipiet, quo fissurae, primum subtus patentes, illinc etiam patentiores (103. a) euadent superiori fissurae parte, atque frequentiores prope montium radices reperientur, et propter eandem vim parallele decurrentes.

c) Corpus fragile corpori molli cedenti impositum, pressione minus facile fissuras agit, et si tales paucas patiatur, minus tamen amplas obtinet, ac si corpori magis resistenti impositum, et ipsum, ut quoad suam inferiorem partem compressioni cedat, (105. b) coactum fuerit. Vnde series tres interiores statuminibus argillaceis, minus lapidefactis, hinc facile cedentibus, impositae, (10. 12. 14.) minores et parciores obtinuerunt fissuras: series reliquae aut minus cedenti statumi ni aut alii iam duriori seriei impositae, per aequalem vim plures et patentiores fissuras agere debuerunt.

d) Corpus fragile molli corpori impositum non finditur, nisi cum hoc non amplius cedere possit, quod pro ratione vis preventis et corporis cedentis, saepius satis longum tempus requirit; hinc idem minus cedenti impositum celerius finditur; tres igitur interiores series (c) longius requisiuerunt tempus ad suas fissuras, exteriores autem breuius; durities quidem diversa aequa diuersum reddit hoc tempus; qualis autem cuiuscunque seriei fuerit, cum nouum flumen inceperit, incerti sumus. Hinc penetratio Iuti recentis in fissuras aequa differt pro hoc tempore, ut nonnunquam tempus pro replendis fissuris commodum, seu quo mare aere colo rante (137. I. h. II. i) adhuc impregna tum

tum fuit, praeterire potuerit, quo steriles inanes fissurae permanerunt; quod tribus interioribus seriebus omnino utrinque competit. (108. 109. 110.)

e) Verum hic maris motus et pressus ab aeris vi barometrica (137. I. i) non solum seriem finitam comprimit, sed aquae, hoc seculari motu concussae, aequa reliquum maris fundum concutiunt, et quounque loco data est occasio, irruunt atque penetrant.

f) Omnes autem series, (102) quin ipsa fundamentalis, (39. c) iam sunt fissae, omnes etiam suas habent inter capedines, (28) hinc omnis series adhuc integra, fissae tamen basi incubuit. Hoc igitur motus concussu (e) hae fissurae superius angustiores sepe aperiunt, in primis in intercapidine; aqua concutiens simul irruit, talis qualis hoc tempore est, et terras lutosas circa fissuras adhuc mobiles praesiaceentes secum in fissuras vehit: e. g. limum, argillam. (108 - 115)

g) Praeterea fissurae canalibus sunt similes, hinc aquae, fissuras per intercapedinem ingressae, quantum fissurae per seriem; superius alia tectam, extenduntur, dicto pressu descendunt; in primis cum omnis series inclinata (90) procumbat, et libera in intercapidine prostans pars, quorsum fissurae patent, ut plurimum altior (62. e) sit obiecta seriei parte. Hinc aquae, tam

prius per viam barometricam, (137. I. i) quam postea per motum vacillantem concussum, versus has fissuras seu canales, inferius latiores, compressae (e), pro horum canalium diversa altitudine, eundem impetum ob gravitatem exserent, quem aqua canalis cuiusdam, aliquot vias ultra dolium infra connexum extensi, sursum premendo huius roris maioris nonusto operculo infert.

h) Talis nempe fissura, ceu canalis aqua repletus, distendet deorum sua latera, quo infra adhuc latiores sient, attollet pondus immensum operculi, seu seriem obtegentem, et eleuabit eam aequi facili negotio, ac pressus aquae in canali pondus magnum dolii operculo impositum eleuat; disruppet seriem integrum et valles (103. b) producit, fissaeque obtegentis seriei (b) fissuras ad momentum aperiet, nonnunquam duriorem seriem hinc inde inueritet; et pars aquarum plus minus intra fissuras alterata, per has rupturas iterum profuet. Hic fundi marini motus, ad terram continentem propagatus, dat motus terrae inopinos absque solitis prodromis euenientes.

i) Inde apparet, profundissimas fissuras, tanquam altissimos canales omnium vehementissime agere debuisse; minus profundas fissuras minores effectus produxisse. Fundamentalis series, si ad primam

redeamus causam, omnium profundissime est fissa, (39, c) et primi motus terrae per eius canales producti, in priores series fissiles (18-24) vehementissime agere debuerunt.

k) Ex eodem principio patet, fissurarum priores, nisi penitus oppletae fuerint, pluries ad motus terrae vim quandam contribuere potuisse, hancque vim renovatam praecedentium motuum producta adaugere debuisse, si praeter aquas marinias, colorante aëre imprægnatas, lutum quoddam simul intrauerit. Vtrumque, tam altitudo fissurarum, quam earum renouata repletio, prioribus ambitus series competit, (107. e) hinc altera pater ratio, cur ambitus, quoad pinguis et acidi mineralis producta, tribus interioribus et positu inferioribus antecellat.

l) Inter haec aqua marina absque intermissione, pro constitutione sua, luta parare potuit; nam nouus fluminum motus magis fundum maris, quam ipsas aquas marinias, exagitat (a). Praecedens autem status internus limosus, simulac motus fluminum restitutus fuit, desit; (137. II. c) per aeris vero iam humescentis (137. I. k. & II. c) absorptionem nunc acidum attenuatum, nec non pingue dilutum, aquis marinis denuo immiscetur, et lutum marinum in argillam transit; nisi vicissitudines aeris lutum margaceum concedant,

aut mutationes in fundo maris, inter haec euenientes, singulares determinantes mixtiones vniuersali luto per fluctuationes excitatas immisceant.

m) Hinc post quoscunque motus terrae, sint per vim barometricam (137. l. i.) aut pressum fluminis, primum recedentis, seriem integrum deorsum fidentis, (b) aut per vacillationes aquarum, postea series rumpentium (e. h.), producti, simul intrat fissuras cum alteratis aquis marinis, vel lutum limosum, vel argillaceum, vel vniuersale calcarium, facile transmutandum. (53. a. 75. e)

n) Aquarum vero salina mixtio praeter haec luta iisdem adhuc scatet aëreis particulis, quae aut limum aut argillam produxerunt, hinc per horum intra fissuras mixturam noua salis marini, nec non acidorum pinguiumque staminum, cum his terris oritur reactio, et tenerior adhuc resolutio, vt prorsus singulares particulorum mixtiones densioresque combinaciones eueniant, et grauiora producantur mineralium elementa, (107. a) maxime inter se quoad speciem aut genus diuersa. Tales internae mixtionum reactiones vix unquam absque calore inde suscitato per aguntur, hinc nec his deerit, quo mixtioni vis et effectus augetur, et fissurae corporibus, alias nullibi acile reperiundis, mineris et lapideis salibus replentur, (119. 123.) o)

o) Quoties autem talis fissurarum mixtura, calore exagitata, (n) quoad partem in vaporem est resoluta, atque vel contactu aeris siccii, vapore repleti, aliunde per quandam fissuram accendentis, fulminatur, (136,g) aut per fulminantem mixtionem, propria vi huius occlusae mixturae pronata, ex fissuris prorumpit, (h) et motus terrae, aut motus solius fundi marini, efficit; haec noua remixtio vel per acidum, intra fissuram iam vitriolicum redditum, cum pingui, minerali reddito, seu terra tincta, vel per acidum salis marini, cum eodem pingui terreo compositum, ex dicta mixtura protrusum, intra aquas marinas pro sua singulari indole operatur. Vnde cum luto tam vniuersali calcario, quam specialius iam determinato argillaceo, prorsus noua luta anomala, a fissurarum productis diuersa, tanquam motuum terrae testimonia producet, aliisque lutis interponet, ut gypsum, argillam rubram, et alia, inter strata tantum deposita, nunquam intra fissuras latentia: nec limus hos motus praecessit, vti motus seculares, nec flumina his motibus mutantur.

p) Verum quoque apparet (k) alia adhuc motuum terrae testimonia, cum limo paucō concomitata, seriebus interponi potuisse, si nempe marinae aquae intra fissuras semirepletashinc inde cum novo luto marino denuo penetrauerint, per reactionem

noui luti atque pristinorum productorum incaluerint, atque hinc prorumpentes vapores minerales lutum marinum illius temporis, proxime circa haec loca seu ambitum, (107. e) colore pro ratione prioris repletionis, seu noui luti, vario tingentes, euomuerint, quo minerae iam perfectae ob defectum staminum mineralium intra aquam, cum luto penetrantem, aequo magis resoluuntur, quam novae producuntur, quod metallicolae exustas venas dicunt, quae limosam, metallicis reliquiis adhuc conspurcatam, terram solummodo continent.

## §. 139.

Mare igitur vetus omnium nostrarum mineralium genetrix dici debet, nec nostris temporibus tantum metalli in nostris montibus procreabitur, vt metallurgi exultare possint, licet physicis hoc aliquantum liceat.

a) Simul patet, motus terrae fundo marino tam necessarios esse, (125) ac tonitrua et fulmina terrae firmae; eosque maiorem stragem in fundum marinum edere, quam in terram firmam.

## §. 140.

Strata pinguiora, tam scissilia seriei metallicae calcariae (16. b) quam statuminis aluminosi (22) et seriei carbonum fossilium, (23) hinc inde testimonia offerunt, hanc pinguedinem heterogeneam eiusque peregrinum acidum cum vegetabilibus et animalibus

bus heterogeneis in haec stratorum luta esse prouoluta.

## §. 141.

Strata, corporibus heterogeneis distincta, catenus per vim procellae sunt producta, et simul indicant, vnde procella mari huic corpora attulerit. (74)

a) Generale tantum indicium hinc desumi potest; ad speciale vero deducendum, ex qua nempe regione, an occidentali an orientali aut ex intermediis? haec procella proruerit, nondum satis signorum specialium colligere potui: hoc dubium cum pluribus aliis ad ampliorem tractationem remitto.

## §. 142.

Seriei prioris infimae seu carbonum impura strata, vegetabilibus maxime et aliquibus animalibus terrestribus nota, probant vim procellae a terra firma haec corpora attulisse.

a) Eodem igitur tempore, quo mare vetus hic substituit, alibi terra firma fuit, easdem plantas et animantia alens, ac praesentis terrae partes, a nobis longius distantes, adhuc alunt.

b) Supponi quidem posset, haec stratorum heterogenea corpora, ad ipsum hoc solum, quod olim iam terra firma fuerit, pertinuisse, et irruentibus aquis marinis, mare vetus postea hac in regione constituantibus, hanc terram superficiariam

cum herbis et animalibus heic conuolutam esse; sic non opus esset, vt horum corporum originem e longinquo deduceremus.

c) Verum praeter haec corpora, aliarum remotiorum regionum adhuc indigenas, insimum statumen, (24) per strata sua anomala argillacea rubra et alia spuria, quincit, iam motus terrae turbulentos hac in regione carbonum strata praecessisse, et haec priora strata, mediantibus aquis marinis composuisse.

d) Si quando disquisitione ulteriori hanc sententiam mea vero similiorem repertritus sum, meam deserere non erubescam.

§. 143.

Strata haec heterogena non secundum gravitatem specificam sunt disposita. (69)

a) Massa igitur lutesca non simul ad has regiones est prouecta, vt secundum gravitatem secedere potuerit, sed per vices debuit affluere, quo modo grauiora luta post leujora succedere possunt.

b) Plures igitur huius procellae impetus sibi successerunt.

§. 144.

Post hoc seculum impetuofum (142) series argillaceae fissiles ortae sunt, stratis talibus heterogeneis carentes.

a) Cum vero terrae argillaceae primae et purae color albicans eo magis tinctus et alteratus sit heterogena coerulea, nigra,

pinguedine, quo proprius haec strata priori heterogeneae seriei accesserunt; hinc et eo magis adhuc affluxum humi nigrescentis leuioris perdurasse patet.

b) Deficiente vero hac humo nigricante, rubra quaedam tintura argillam albidastrinxit, et sterilem fere mineris reddidit, qui color motibus terrae frequentibus secundum statumina quaedam competit. (76. g. 138. o)

c) Subsequentis tandem seriei viridiuscidae albidae status magis fuit innocuus.

Post totum igitur seculum procellae vis primum tantummodo mitigata, et tandem accessu motuum terrae penitus cessauit, vt nullum testimonium terrestre, procellam vniuersalem indicans, ultra seriem carbonum et proxima pinguis strata reperiatur, licet indicia per totam coeruleam seriem ex colore nigricante adhuc appareant.

Ast sub initium seculi metallici calcarii nouum procellae genus mare vetus humo pingui nigricante, pisces in primis, in aliis terrae firmae fluuiis adhuc reperiundos, continente, conturbauit, et luta stratorum scissilium nigricantium, cupro iam celebrium, per vices suppeditauit.

a) Breuioris vero durationis fuit huius procellae tempus, et vi eius cessante prorsus cessauit affluxus heterogeneus, vt strata

subsequentia denuo calcariae euaserint indolis; minutias tamen lithantraceas hinc inde dispersas reperi.

b) Haec procella comprobat, priorem (142. b) aequie e longinquo prouenire potuisse, cum huius vix ullam vero similem rationem producere posses, si hanc humum ex proprio nostro solo deducere velles, nisi forsitan singularem tantum locum pro argumento allegares, e. g. si prope Ilmenauiam tantum haec strata considerares, verosimile videri posset, haec strata esse conuolutum lutum piscinarum ex nostro solo; si vero strata haec in cuminibus montium aequae nigricantia cuprifera, licet rarissime tantum piscibus impregnata, reperias, unicam tantum concedes limitationem: vim nempe et directionem alluviei pisces aliaque animalia non ubique disseminasse, et potius huic vel illi loco, alluviei commodo, impertisse; ipsum vero heterogeneum lutum, communi undationi magis obsequiosum, ubique sepositum fuisse. Annon hoc lutum alibi lithantraces exhibuerit, dubius sum.

## §. 147.

Per posteriora secula nullum amplius indicium talis procellae vniuersalis obseruare licuit, quamuis flumen marinorum fortiores motus ex indole stratorum sese manifestent, et fluctuationes comprobent.

## §. 148.

§. 148.

Series vero hae duae heterogeneae, tam circa quam ultra syluam Thuringiacam et Hercyniam, haec strata heterogena cum testimoniiis terrestribus continent.

a) Vis igitur harum procellarum, quae terrae firmae illius temporis tam animalia quam plantas cum humo pingui nigra eripuit, tam circa quam ultra haec summa montium iuga extensa fuit.

§. 149.

Quorsum autem hae series, ut carbonum et calcario metallica, strata scissilia continens, cum reliquis, ambitum et medium Thuringiae occupantibus, ulterius extenduntur, ibi idem mare eodem tempore in eodem statu exstitisse, eaedem rationes confirmant.

§. 150.

Per omnem vero terram Saxoniam, Brandenburgiam, et affines regiones utriusque extensas hae series, in primis ultimae, testaceo calcaria et arenacea, reperiuntur; mare igitur hoc per easdem regiones extensum fuit.

a) Argumentum pristini maris illustris Hollmannus a testaceis corporibus quidem concinnes deduxit; ob defectum autem aliorum marinorum in genere, et testaceorum secundum plura loca in specie, non nullorum animo scrupulus adhuc inhaeret; sed pristini maris incolae per omnia secula hic aquae habitare debuerunt, ac in praesenti mari adhuc degunt, licet praeter

ter genus testaceum, alcalinis corporibus praeditum, et alias animalium partes, certo alcalinas, vt dentes, nec non vegetabilia, ad alcalinam indolem accendentia, vix ullum aliud corpus marinum conservatum reperias: quod a putredinis mari- nae vi resoluente pendet, quae putredini terrestri in hoc plane conuenit, nec corporibus alcalinis resoluendis sufficit.

b) Si hanc stratorum marinorum conditio- nem et proxime citatorum heterogeneo- rum statum inter se conferas, perspicies, pisces et herbas citius, quam putrefieri potuerunt, humo copiosa paucoque luto, marina vero animalia et vegetabilia tar- dius, vt prius putredine resolui potuerint, et quoad alcalinas tantum reliquias luto marino inuoluta esse, quod stratorum ma- rinorum tardam depositionem satis euin- cit.

#### §. 151. अन्यत्र विवरण

Citra circuitum Thuringiae eadem series per Saxoniam inferiorem, Hassiam, Fran- coniam, Bohemiam et ulterius per Germaniam, licet quoad specialia differentes, ex- tenduntur. Idem igitur mare omnium ha- rum regionum series sub eodem statu eo- dem tempore prodixit, prout vel resisten- tia fundi, vel propensio, aut alluviem, aut flu- minum yndicationem exhibuit. (56)

a) Huius maris documentis alcalinis peper- cit quidein putredo in nonnullis stratis;

cum

cum naturae vero nil deficiat, haec quoque corpora alcalina hinc inde prorsus resoluit atque delevit, acri nempe acidulo; nam omnes series et omnia strata, quibus acor talis quodam modo tribui potest, haec alcalina marina annihilarunt aut transmutarunt. Annihilationis (77. f.) vestigia fere nulla sunt, nisi in superficiebus stratorum, tam inferiori, quam superiori, delineatio quaedam remanserit; transmutationis (76. k) autem testimonia tam nuclei quam spatheae exesi corporis repletiones exhibent; hinc quaeunque series, licet nonnunquam rarius, quaedam maris pristini documenta, per criticam physicam interpretanda, continebit.

## §. 152.

Omnes igitur hae regiones aequae ac ceterae prouinciae, his quoad series earumque ordinem in generalibus similes, in specialibus aequales, eodem tempore ut fundus maris olim sub mari latuerunt.

## §. 153.

Procellae igitur duae, (142. 146) carbonum et stratorum scissilium luta, terrae firmae alias propria, (127. 128) porridentes, ut diluua vniuersalia veteris terrae firmae et procellae vniuersales (148. a) veteris maris assumi debent.

a) Haec bina diluua, magis prope initia et medium huius veteris maris, quam ver-

sus finem eiusdem terram continentem inundarunt.

b) Omnes autem regiones, nostrae regioni similes, illius temporis terra continens neutquam esse potuerunt; hinc magis remota esse debuit illius temporis terra firma, et hae procellae aequae e longinquo sunt deducendae. Ob dubium locum, unde procella irruerit, aequae dubius est locus huius veteris terrae firmae.

#### §. 154.

Per prius autem et medium veteris maris seculum terra vetus continens, tam vegetabilia quam animalia, his petrefactis analoga, nutriuit; cur non etiam omnes reliquias eorum species, talibus locis adhuc indigenas?

#### §. 155.

Diluvia maiora ab immensam fluidi copiam aquis maxime marinis physice tribui debent.

#### §. 156.

Diluviorum marinorum causa posita est in aequilibrio maris sublato, ut intra limites non amplius contineri possit.

a) Motus terrae, quatenus nouas tantum series determinant, sunt effectus maris, in nostra regione ad nouam fluminum directionem transeuntis; et aequilibrium tantum partiale restituentis. Verum aequilibria vniuersalia, diluvia maiora producentia, magis globum terraqueum respiciunt.

#### §. 157.

## §. 157.

Hinc versus initia et medium maris veteris, aequilibrium aquarum marinorum alibi sublatum fuit, et propendentes aquae versus solum iam Europaeum terram intermedium continentem inundarunt, et mobilioribus partibus spoliarunt.

a) Verum post seculi metallico calcarii lustrum heterogeneum nunquam amplius veteris maris aequilibrium eo modo sublatam fuit,

## §. 158.

Aequa tantem deseruit mare nostrum vetus solum iam Europaeum.

a) Verum non deseruisset, nisi propensis versus aliam plagam, ceu aequilibrium sublatum, euenuisset.

b) Quantam partem globi terrauei hoc mare vetus occupauerit, quasque praesentis terrae firmae partes obtexerit, ordo serierum, in aliis terris per sedulam observationem detegendus, et cum nostro comparandus, demum certius stabiliat.

c) Quem vero locum globi terrauei nostrum pristinum mare, dum discessit, occupauerit, vix determinandum est, nisi illud per satis verosimilem suppositionem, hunc ipsum locum, quem adhuc obtinet, occupasse statuamus.

## §. 159.

Hinc absoluta serie testaceo calcaria et praegresso noui fluminis prodromo seu limoso

so complemento, prorsus nouus status maris per discessum totius maris ortus est, et noua terrae facies prodiit.

## §. 160.

Pristinae autem terrae superficie<sup>i</sup> vniuersali per omnem tractum harum serierum tantum erat additum incrementi, vt diameter et peripheria terrae, circa has regiones, maiores evaserint.

## §. 161.

Hoc autem mare pristinum fuit medium, quo globus noster ad maius incrementum, dum tot series montium superficie veteri adderentur, peruenit.

a) Stratorum heterogeneorum, vi. proceliae exstructorum, minima est pars; homogeneorum vero maxima; vt argillaceorum, arenaceorum.

## §. 162.

Massam homogeneorum stratorum ipsum mare suppeditat.

a) Series calcarias ipsi mari originem debere, salis marini terra calcaria adhuc probat. (75. 77.)

b) Arenam nil nisi grana salina, durioris cristallisationis, constituunt, ex immensa salini fluidi vi, seu mari, secreta. (76.)

c) Argillae stamen primum est terra alba, pinguedine orba, lubentissime pingue attrahens, (76. e) magna vi aquae soluta, pulucrem arenosum exhibens; eiusdem

igi.

igitur originis ac arena vel terra calcis,  
licet rarissime tam pura deprehendatur.

## §. 163.

Maximam igitur partem incrementi ter-  
rae mare vetus ex proprio penu veteri ad-  
didit terrae.

a) Nam mare fuit matrix, diuersa luta mol-  
lia progignens (46. 49.) et sub diuersis  
accidentibus causis per suum sal diuersi-  
mode in lapides redigens. (48.)

b) Systema igitur naturale terrarum, Japi-  
dum et minerarum, secundum hanc ratio-  
nem conscribendum esset, et celeberr.  
Lehmannus in citato tentamine talis sy-  
stematis exemplum exhibuit generales;  
speciale vero secundum seriem singulam  
nunc demum exstruendum est.

c) Si moles et magnitudo differunt, cum  
eadem moles rarefacta maior euadat, ter-  
rae moles exinde primario increvit, et  
magnitudo tandem secundario.

## §. 164.

Talis modus incrementi conuenit nutri-  
tioni cacterorum corporum, per fluidum  
nutriens incrementum.

## §. 165.

Mare igitur vetus terram nostram his in  
locis nutriuit ad maiorem magnitudinem per  
proprium nutrimentum. (162. 163.)

a) Vnde mare pabulum desumferit, ex in-  
dole aëris et lucis, horumque nexu cum  
toto

toto vniuerso, deduci poterit, si illi vim attrahentem, absorbentem particularum volatilium, quam chemicis aqua simplex iam praestat, concedas, et magnam superficiem, continuo motam, cum immensa eius aquarum copia adiungas; (75 - 77) tandem sempiterius vaporum adscensus et descensus, omne genus particularum aërearum mari admiscens, colophonem addet. (134 - 138)

## §. 166.

Globo circa axin fluitanti nullum pondus ullibi superaddere potes, quin versus hoc inclinet, vel celerius moueatur, et a motu priori recedat.

a) Incrementum terrae per series has, est superadditum pondus ad globum nostrum terraqueum, circa axin fluitantem.

## §. 167.

Aequo igitur globus noster versus hanc partem, vel successiue, vel subito, inclinare debuit.

a) Nostri praesentis maris genera testacea cum generibus pristini maris, seu in Europaea terra petrefactis, comparata, euincunt varia genera, quae in pristino aderant, prorsus in nostro praesenti mari abesse, aut media in maris altiorem partem occupare. Si posterius verum esset, regiones talium petrefactorum pro aequo media altiori veteris maris parte assumenda essent. Si prius, nostri praesentis ma-

ris status et conditio maxime a veteri differre deberet, ut dicta genere animalium heic ali non potuerint; verum praeter calorem et salinam indolem, qua prius mare magis praeditum fuerit, vix differentia inueniri poterit; hinc in mari veteri maior caloris et salis causa adesse potuisset; sub Zona igitur magis torrida nostrum vetus mare positum fuisset; nam frigidius nostro vix assumi potest.

b) Per aequilibrium igitur sublatum non mare solum, sed totus globus terraqueus inclinatus fuisset.

### S. 168.

Successiva inclinatio non absque successivo aquarum marinorum recessu a locis, vbi prius aequilibrium aderat, esse potest; nec subita inclinatio absque subito maris recessu.

a) Recessus successivus aequilibrium inter mare et continentem terram perpetuo sustinet, et producta marium seu series, longiori temporis spatio sibi succedentes extendit, prout recedit.

b) Subitus autem recessus per cito sublatum aequilibrium series supra se exstructas absque successiva extensione simul et semel denudatas relinquit.

### S. 169.

Series testaceo calcaria tanquam ultima per omnes tractus Thuringiac, Saxoniae etc.

exstructa simul et semel per omnes hos tratus denudata et derelicta est;

a) Subitus igitur recessus maris huic nostro contigit solo, post consummatam series testaceam.

### §. 170.

Hinc globi nostri fluitantis aequilibrium nouum absque novo pondere locis leuioribus addito non produci potuit.

a) Aquae igitur, ad motum aequilibrantem solum idoneae, versus leuiorem motae sunt partem, et aequilibrium restituerunt.

### §. 171.

Subitus recessus aquarum aequilibrantium motum concussorum tam diu sustinet, usque dum aequilibrium restitutum sit, atque altera moles aquarum alteri moli aquae aequa resistat.

### §. 172.

Tales maris recessus et concussions absque inundatione terrarum continentium successiva esse nequeunt; hinc diluvia maiora (155) et impetuum successus producunt (143. 144).

### §. 173.

Diluvia igitur bina, (142. 146) durante pristino mari, ad loca nostra extensa, aequa per aequilibrium maris in aliis locis sublatum

tum, eiusque subitum recessum et successus, prouenisse debent.

a) Diluvium, si quod nostrae continentia terrae, cum iam inhabitata fuerit, contigit, aequa ex aliis maris sublato aequilibrio, et recessu subito, ortum habuisse, assumendum est.

### §. 174.

Mare hodiernum aequa tale ac vetus secundum usum et effectus generales assumendum est.

a) Per tot vero millia annorum, quibus mare nostrum praesens eosdem fines habuit, non tantum adhuc incrementum peripheriae terrae addidit, ac vetus mare.

### §. 175.

Hinc mari veteri non minus tempus minimum tribui potest, quam aequa tot annorum secula, quin ultra.

a) Natura enim in omni incremento aliorum corporum eundem ordinem, modum, idemque tempus adhuc seruat, ac ante aliquot millia annorum.

### §. 176.

Recessus huius veteris maris a toto suo fundo aequa inundauit et occultauit veterem terram firmam, atque dehinc prorsus nouam aperuit plagarum Europaearum hisque conuenientium vastam superficiem.

## §. 177.

Noua soboles plantarum et animalium, hanc nouam terram postea inhabitans, novam constituit creationem.

a) Si nostrarum indigenarum plantarum et animalium terrestrium species ac genera cum plantis et animalibus Asiae, Africæ, Americae conferas, satis verosimiliter per species, quamcunque talem quadrantem terrae specialiter creatam fuisse, nam vniuersalis creationis vis secundum abstractum ea esse debuit, vt omnia tellus illa produceret, quae alere posset.

b) Verum secundum illustr. Linnæi et Halleri nec non clariss. Zinnii obseruationes iam nostra Europaea terra facili fert negotio plantas alias, reliquarum trium terrarum indigenas; nec de animalium conseruatione magis dubitari potest.

c) Hinc plantæ et animalia, quibus eadem Zona in Europa ac in Asia, America, nec non Africa dari potuisset, in terra Europea prouenire debuissent, nisi specialis procreatio cuique quadranti suam specialem plantarum animaliumque prolem dedisset.

## §. 178.

Quoties autem diluuia vniuersalia reperimus, toties aequilibria sublata, atque tot nova pondera seu incrementa, licet diuersis in locis, superaddita credere fas est.

## §. 179.

## §. 179.

Quinqüies minimum hoc euenisce nostra probat regio.

- I. Cum mare vetus fundamentum occuparet, quod illinc terra firma, aut si mauis, alio tempore aequae fundus cuiusdam maris fuit.
- II. Tempore seriei heterogeneae carbonum fossilium.
- III. Lustro stratorum scissilium seculi metallico calcarii.
- IV. Sub recessu maris a solo nostro, licet hoc diluvium aliam continentem deuastaverit terram.
- V. Postquam nostrum solum iam inhabitatum esset.

## §. 180.

Vltimum tempus incrementi, aut si malleis, penultimum, quin antepenultimum adhuc durat et durabit, si Deus D. O. M. post motus terrae nuperos, nondum ex animo delatos, mari nostro nouum seculum, nouaque seriem inchoare iusserrit. (117. 118)

## SUPPLEMENTVM PRIMVM.

## §. 181.

Super montes prope Rudolstadium et Saalfeldiam, tam altiores, quam humiles, certis locis fragmenta lapidum congesta (*Sieingries*),

*gries), et plurimis in locis limo mixta aut tecta obseruantur.*

a) Non facile, nisi in humilioribus locis, fragmenta serierum vicinarum reperies, sed plurima pars constat e frustulis serierum primarum, in ambitu positarum, nec non prorsus peregrinis, quorum loca natalia nondum nouimus.

#### §. 182.

*Omnia frustula formam habent attritam, uti lapides torrentibus saepius longiusque attriti.*

#### §. 183.

*Omnibus locis altioribus, vbi congestiones tales lapideae reperiuntur, inter se comparatis, patet, directionem huius motus, lapides prouehentis, inter meridiem et occidentem irruisse, et versus plagam inter septentrionem et orientem proruisse.*

a) Series quaecunque in hoc tractu posita, etiam ultima testacea, his congestionibus lapideis, in locis depositioni aptis, est obiecta.

b) Montes arenacei secundum huius torrentis tractum, maxime circa fissuras, limo sunt tincti, sed raro repleti. (109)

#### §. 184.

*Postquam igitur omnes series cum ultime limoso complemento absolutae fuere, vis torrentis*

rentis satis magna, lapidum frusta in summos montes prouehere apta, nostram regionem inuasit. (173. a)

a) His montibus summis altitudo harum aquarum non solum aequalis esse, sed eos etiam superare debuit. (55. 155.)

### §. 185.

Hanc vim torrentis secutus est lenior motus, limum impurum secundum cundem tractum, ast in loca magis quieta seponens, iam promtuaria limi, (*Leimgruben*) cochleas minimas nostrorum montium vt plurimum simul continentia.

### §. 186.

Vis igitur impetuosa irruens, lapides summorum montium ambitus ad nostros usque montes quidein primum proiecit, vix autem extra lineam motus irrumpentis limum, calcarios montes tegentem, cum suis cochleis commouit, nisi tempore subsequentis lenioris motus, cum iam terra superficiaria huius regionis emolsita, et leniori motui obsequiosa reddita esset.

a) In ambitu, extra vicinitatem calcariorum montium, limus impurior, propter testimonia serierum fissilium, seriebus fissilibus magis competens, aequo conuolutus absque cochleis reperitur, vti nobis vicinus cum testimoniis calcariorum, rarius arenaceorum, in montium.

## §. 187.

Attritio lapides sic obtusos reddens, (182) in liberiori abundanti fluido non succedit, sed in angustioribus limitibus, allisiones frequentiores producentibus, quod fluuii minores montosi, torrentibus aquis frequenter obnoxii, certius efficiunt.

a) Hinc huius magni torrentis vis unica, magis celerrime prouehens lapides, quam allidens, non sufficit tali altritioni.

## §. 188.

Cum autem maxima pars horum lapidum ad series priores, bis minimum concussas, pertineat, et fluuiis nonnisi minoribus per longius et repetitum tempus ad rotundorem formam atteri potuerit; hinc fluuii inter huius ambitus montes per longum tempus iam debent profluxisse, et torrentes aquas ingurgitasse, cum hic torrens magnus invaserit.

## §. 189.

Hinc per aequae longum tempus haec regio ut terra firma debet exstitisse, atque aquis torrentibus minoribus, ante torrentis meridianalis magni irruptionem, agitata fuisse.

## SUPPLEMENTVM SECUNDVM.

## §. 190.

Tophus lapidis genus (*Tuffstein, Tuckstein*) nulli seriei competens, eiusque species: *stalactites*

lactites (*Tropfstein*) aut terra alba (*Meelerde*) hinc inde per plurimarum serierum montes inueniuntur.

a) Stalactites tubulosus plurimam partem osteocollae in nostris pharmacopoliis constituit, cum species verae osteocollae, a celeb. Gleditschio descriptae, in intinis montium arenaceorum prope radices arborum rarius hic reperiatur.

### §. 191.

Inueniuntur autem huius tophi variae collectiones.

a) Maximae sub montibus testaceo calcarii in superficie seriei arenaceae, interdum in valliculis ipsorum montium testaceo calciorum. (55)

b) Minimae, ut stalactites et terra tophacea alba, in fissuris externis et internis, tam seriei testaceae quam arenaceae, farinaceae et metallicae. (106, 107) quin, licet impuriores, sub terra superficiaria serierum fissilium.

### §. 192.

Aequo igitur ac congestiones lapideae (180, 189) post absolutas omnes series productum est hoc genus tophaceum.

### §. 193.

Quin et tophus congestiones lapideas, nec non promtuaria limi, hinc et inde penetrauit, lapides incrustauit et conglutinavit.

a) Post magni igitur torrentis inuasionem, limique depositionem; hic tophus demum est productus.

§. 194.

In his tophaceis collectionibus strata variae deasitatis et crassitie reperiuntur.

a) Per vices igitur et sub diuersa specie ad. venit tophus,

§. 195.

Plurima strata sunt salinae indolis, non forma cristallorum, sed in modum compositi porosi tubulosi compacta; pauca vere lapedea, calci nigriori similia, alt tenaciora.

a) Hinc strata haec sunt seposita, et iadu-  
rata, vt spissius magma salinum; rarius vt  
lутum terreum.

§. 196.

Strata fere omnia continent corpora ter-  
restria, montis superiori parti tribuenda.

a) Ut terram superficiariam horum mon-  
tium, cochleas montanas, adhuc heic vi-  
yas reperiendas, ligna putrefacta, carbo-  
nes ligneos, ossa animalium terrestrium  
prorsus calcinata, nec non icones planta-  
rum et fructuum.

b) Nullum prorsus marinum corpus haec  
strata continent, nisi inuoluta fragmenta  
testacearum seriei quid contineant.

§. 197.

## §. 197.

Strata haec tam in planicie, quam declie-  
vibus montium valliculis, figuram montium,  
et flexum, fluxui liquidi magis commodum,  
sequuntur; in decliviis situ declivi, in pla-  
nitie, prout superficies descendit aut ascen-  
dit, nonnunquam satis remote.

a) Certius igitur patet exinde, hunc collec-  
tionum tophum non vt fluidum tenuer,  
sed vt lutum salinum tenax porosum oc-  
cupasse loca sua, ad collectionem prona.

## §. 198.

Stalactites autem, in fissuris montium hae-  
rens, aequo stratorum loco ex teneroribus  
lamellis est compositus, vbi crustam crassio-  
rem, aut maiores cylindros pensiles consti-  
tuit.

a) Fluidior igitur fuit huius tophi salina  
soboles, et per vices aequo sibi successit,  
magis etiam salinam figuram subinde as-  
sumpsit, atque vt fluidior guttatim stillans  
aciculas adeo teneras formauit, vt vix sta-  
lactitem, sed potius corallinam esse cre-  
deres.

b) Stalactites ergo latius et communius  
dispersus fuit, collectionum topho, strata  
formante.

## §. 199.

Tandem etiam terra tophacea aequo late  
diffeminata fuit, cum per seriem arenaceam,

vbi

vbi stalactites prorsus deficit, et crustam potius exhibet, tam durior, vt creta, quam mollior, vt farina alba, distributa inueniatur, impurior autem adhuc vterius vagata fuerit.

a) Sal tophaceus igitur per arenam perdidit salinam indolem, atque exinde ad terraeam rediit formam.

b) Nec series fissiles et strata argillacea topo salinam indolem conseruarunt, sed ad terram, licet impuriorem, reduxerunt; crustam tamen salinam, frustis seriei rubrae adhaerentem, hinc inde deprehendere potes.

### §. 200.

Terra igitur calcaria maxime, quin fere sola, tophi salinam indolem aut conseruavit aut produxit (191. a)

a) Hinc sal tophi per se fluidior, cum per montes testaceo calcarios spissioris redditus sit indolis, hac terra calcaria, modo salium inspissatorum, vi salina aucta fuit.

b) Tophaceum hoc magma, per terram salinam horum montium aliquatenus solutam, productum, sic lentiori motu vegetabilia et animalia superficie secum provehere et incrustare potuit.

### §. 201.

Tempore autem illo, quo terra haec iisdem cochleis et herbis, ac nostro fert tempore.

pore, iam occupata fuit, collectiones tophaceae sunt ortae.

- a) Hinc longum tempus post recessum maris iam praeter fluxisse debuit, cum tophaceae colluuios producerentur.
- b) Simul per nexus obseruationum prae sumi potest, planiores regiones, montibus calcariis (200. a) destitutas, loco tophi vegetabilibus (196. a) praegnantis, turfam et carbones ligneos semiustos continere; cum vegetabilia, ob defectum salis huius calcarii (195.) corrodentis, per solam putredinem, humido largiori retardatam, ad carbonaceam tantum indolem maccerari potuerint: qua indole acquisita per tot secula et plura futura destructio ni resistunt.

### §. 202.

Per summorum autem montium testaceo calcariorum et reliquorum superficies atque fissuras, haec tophacea massa, tam conorum et cylindrorum, quam crustæ saline et terræ saline forma, disfluxit.

- a) Ultra hos igitur montes summos fluidum salinum, stalactiten exhibens, vndasse debuit.
- b) Eadem tophacea massa tam congestionibus lapidum, quam limi, immixta est, earumque interstitia penetrauit, vnde post horum

horum secessum tophum demum largior rem subsecutum esse, coniectura prospici potest.

c) Nec propterea limus absque tophacea terra facile reperitur, (80. XI) nisi remo-  
tior a calcariis montibus procumbat, aut  
in summis cacuminibus immotus forsan  
adhuc iaceat.

### §. 203.

Nullum tam copiosum fluidum salinum ha-  
bemus, quod montes hos obtegere potue-  
rit, nisi mare. (14. 155)

a) Hinc montes hos de novo per aquas ma-  
rinas submersos credere fas est,

### §. 204.

Status terrae firmae, vbi montes a mare  
obteguntur, dicitur diluvium uniuersale.

a) Hinc ob tophacea producta diluvium hu-  
ius temporis tophaceum dici potest.

### §. 205.

Diluvia vero physice oriuntur ab aequili-  
brio maris sublato. (156.)

a) Hinc aequilibrium maris tunc nouissimi,  
aeque ac veteris maris aequilibrium, sub  
initia sublatum, et diluvii causa factum  
est.

### §. 206.

## §. 206.

Diluvium tale nouissimum non nouimus nisi Deucalionis aut Noachi,

## §. 207.

Motus huius diluvii tophacei tam lenis fuit plurimis in locis, ut in declinibus tantum cochleas, herbas, et terram superficiariam, nec adeo procul, commouerit. (196. 197)

## §. 208.

Talis motus lenis conuenit diluvio Noachi, quo arbores et vites, nec non herbae, pabulum illico post recessum aquarum cuicunque animali, in arca conseruato, praebentes, illaeſae perſtiterunt.

## §. 209.

Altitudo aquarum Torrentis magni ratione montium fere eadem fuit, ac in hoc diluvio tophaceo. (184. a)

a) Torrens autem hic a regione meridionali irruit. (183)

## §. 210.

Si igitur torrentem hunc vt primum initium diluvii huius tophacei assumere liceret, huius diluvii origo per plagam meridionalem deducenda esset.


## §. 211.

Si nolis, sequitur, duplex diluvium nostrum Thuringiam, cum contiguis prouinciis, dum iam inhabitatae fuerint, inundasse.

a)

a) Minimum torrentis diluum, secundum congestiones lapidum limique, topodemum penetratas, prius fuisse diluvio tophaceo, concedi deberet.

b) Torrens magis conuenit diluvii cuiusdam primo irruentis impetui; sed tophacea constitutio mage remittentis, per successus defluentis diluvii, faciem praesertim fert,



EIVSDEM  
V S V S  
HISTORIAE SVAE TERRAE  
ET MARIS.



S. 212.

Theoreticos eius usus non prosequi audeo, usque dum viri, scientia geognostica imbuti, in aliis regionibus has generales obseruationes, cum deducendis inde conjectariis, per experientiam comprobaverint.

a) Nam modus, quem T. O. M. in constructione terrae obseruandum naturae prescripsit, nonnunquam humanos prorsus abhorret modos; et incredibilis aut fictus videtur,

b) Sic natura plurimas montium series, pondus et molem tam immensam, in basi molli lubrica aut facile cedente, ut statumina euincunt, (138. c. d) exstruxit, cum nos in exstructione simili basin firmam quae sitemus.

§. 213.

Vsus autem practicos ex ordine ferierum et statuminum, nec non singulari cuiusque indole, paucis indigitare licebit.

6

3